



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

5 De quantitate huius peccati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

bat tangendum peccatoribus, absq; eorum culpa, sed remota similitudine carnis peccati, per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit à Magdalena, quæ de factum fidei patiebatur. Vnde concludit: Et ideo peccatores, qui dictum defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur à contactu huius sacramenti. In quibus verbis aperte transfert sermonem à sumptione ad contactum, & idem de vtroq; iudicat. Et augetur difficultas, quia non videtur conuenienter assignata differentia inter Christum in carne passibilem, vel gloriosam. Primo, quia sicut ante resurrectionem non repellantur peccatores à Christi contactu, nec in eo peccabant, si ex fide & reuerentia, vel benevolentia aliqua procedebat, ita etiam post resurrectionem. Thomas n. qui nondum credebatur, ab ipso Christo inuitatus est, vt se tangeret, vt ipso tactu curaretur. Ioa. 20. & Lucas refert c. 24. dixisse Christum ad discipulos, qui nondum credebant: Palpate & videte. Expositio vero, quam D. Th. hic affert verborum Christi ad Magdalenam: Noli me tangere: non est literalis, vt in precedente Tomo late ostendi. Et verifimiliter videtur, Magdalenam tunc, quamuis imperfecta esset in fide, non tamen simpliciter caruisse fide charitate formata, & maxime in eo momento, in quo Christum tangere voluit, iam n. ipsum agnouerat, & crediderat. Accedit præterea ratio desumpta ex priori ratione D. Th. quia sicut in contactu carnis Christi passibilis, factum à peccatore, non erat falsa significatio, pertinens ad diuinam, ita nec in contactu Christi gloriosi: ergo si propter hanc causam illud non erat peccatum mortale, et neque hoc. Ratio etiam procedit de contactu huius sacramenti seclusa sumptione, quia in solo illo non est etiam falsa significatio. Dicitur fortasse, adæquatam rationem huius peccati non sumi ex falsa significatione, sed etiam ex dignitate & sanctitate humanitatis Christi, q̄ audere in statu peccati mortalis contrectare, temeritas magna & sacrilegium est, vt in principio huius commentarij ex Paulo notabamus. Veruntamen si hæc ratio verum sumit, sequitur per se loquendo, etiam in statu vite mortalis fuisse graue peccatum, Christum contingere in statu peccati, nisi per ignorantiam, vel bonâ fide peccatores excusamus, qui hoc facere audebant, hoc aut nec D. Th. concedit, neque vllus Doctor. Sequela patet, quia tanta erat dignitas, & sanctitas, humanitatis Christi in statu vite mortalis, quanta nunc est. Gloria enim corporis parum illi addidit, neque maiori honore aut reuerentia dignum illum effecit.

In hac difficultate quidam contendunt, diuersam esse rationem, quoad contactum, de quo agimus, Christi Domini in statu passibili vel impassibili, nam in priori inquit, nullum fuit peccatum, per se loquendo, ad illius pedes contingendos accedere in statu peccati. Tum quia in eo statu exhibebat se Christus veluti medicum, qui ad curanda & delenda peccata veniebat: tum etiam, quia mutando, vt sic dicam, habitum, & maiestatem suam ac gloriam occultando, quodammodo præbebat aliis facultatem, vt ad se accederent. At vero in statu gloriæ non habent locum rationes prædictæ, & ideo considerata dignitate Christi dicunt, per se loquendo, nonnullam fuisse culpam eum contingere in statu peccati. Et idem iudicium faciunt de hoc sacramento, in quo Christus est cum tota sua gloria & maiestate, quæ licet occultetur sensibus, non tamen fidei, & hic non tam se exhibet vt medicum peccatorum, quam vt cibum viuientium. Quæ doctrina præ se fert quandam pietatem, & probabilis est & satis consentanea iis, quæ D. Tho. docet in hac solutione. Sed in prius mihi certum videtur, seclusa sumptione huius sacramenti, & ministeriali dispensatione, ac secluso etiam contemptu, in solo contactu huius sacramenti, per se loquendo, non interuenire mortalem culpam, ex hoc solo capite, quod in mortali peccato fiat. Quæ est communis sententia quam infra in citato loco latius probabo, quâquam

si peccator aduertat statum suum, nonnulla irreuerentia videatur, sic attingere hoc sacramentum, ex illo principio, quod sancta sancte tractanda sunt. Atque idem iudicio de Christo in propria specie, etiam post statum gloriæ, quia non video graue peccatum in eo actu, etiam si peccator illum tangeret, præsertim, si ex bono affectu, & cum reuerentia ad illum accederet, vt ab eo sanaretur, vel illuminaretur, quia in hoc nulla fieret grauis irreuerentia, vel iniuria personæ Christi. Neque in hoc fere video differentiam inter Christum in statu passibili vel impassibili, vt ratio supra facta satis probat, & non refert, quod maiestas Christi esset magis occulta in statu passibili, quæ licet esset occulta sensibus, non tamen hæc, vel supponimus, nam alias posset ignorantia excusare: hic autem consideramus rem secundum se. Deinde in vtroque statu poterat peccator accedere ad Christum vt ad medicum, & cum timore ac reuerentia, & ita in vtroque posset excusari à culpa. Quod si aliter accederet ex negligentia vel irreuerentia, in vtroque non fieret sine culpa: nulla ergo videtur esse differentia, nisi quod in statu passibili fidelis poterat homines excusari propter ignorantiam vel inaduerentiam. Quocirca prior ratio Diui Thomæ videtur solidior, quæ differentiam merito assignat inter contactum & sacramentalem sumptionem. Cui etiam addere possumus, hunc modum continendi Christum per sumptionem, illum nobis intinse coniungendo, esse longe alterius rationis, & maiorem quandam familiaritatem & amicitiam præ se ferre, & ideo ex hoc etiâ capite multo grauius est, eum sumere in peccato mortali, quam contingere. Vt si respectu Christi in propria specie comparemus eum modum, quo B. Virgo Christum intra se habuit, ac cum tegerit exteriori contactu corpus eius, ille prior longe est nobilior, & altiore multo ac sanctiorem dispositionem requirit. Ad hunc ergo modum in presenti dicendum est, proportionem seruata. Atque huc etiam spectat differentia, quam Diuus Thomas in solutione ad 4. assignat inter visionem & sumptionem huius sacramenti, nâ visus, inquit, pertingit ad solas species, & ideo non est peccatum, etiam si in statu peccati fiat: qui autem sumit sacramentum, sumit etiam ipsum Christum: hæc n. differentia etiam versatur inter sumptionem, & exterioriorem tactum, quia etiam tactus attingit solas species: quamuis, quia immediatus ac proprius attingit, quam visus, ideo in illo maior cautio & reuerentia adhibenda est, quam in solo visu.

Solutio ad quintum multa continet, quæ expositione indigent prolixiori, & ideo commodus tradentur disputatione sequenti, & nonnulla diximus supra, agentes de effectibus huius sacramenti.

## ARTICVLVS V.

Verum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauisimum omnium peccatorum.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauisimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus 1. Corin. 11. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Glos. ibid. Hoc est, ac si Christum occideret, puniret. Sed peccatum Christum occidentium, videtur fuisse grauisimum. Ergo hoc peccatum, quod aliquis cum conscientia peccati ad mensam Christi accedit, videtur esse grauisimum.

2. Præterea, Hier. dicit in quadam epistola. Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Deo fabulari? Dic sacerdos, ille Clerice, qualiter eiusdem labijs Filium Dei osculari, quibus oscularis es labia meretricis? Cum Iuda, ofulo Filium Domini tradis. Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedere.

Oppositum  
tamen probatur.

Iean. 20.  
Luc. 24.

Impugnatur

accidens peccare, sicut Iudas peccavit, cuius peccatum fuit grauisimum. Sed multa alia peccata sunt grauiora, quam peccatum fornicationis, & precipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatorum ad mensuram Christi accedens peccatum est grauisimum.

3. Præterea, magis est abominabilis Deo immunditia spiritalis, quam corporalis. Sed si quis projiceret corpus Christi in lutum, vel sterquilinum, grauisimum reputaretur eius peccatum. Ergo grauius peccat, si ipsum sumat, cum peccato, quod est immunditia spiritalis. Ergo hoc peccatum est grauisimum.

Sed contra est, quod super illud Iohannis decimo quinto. Si non uenissent, & locus eius non fuisset, peccatum non haberent, dicit Augustinus, hoc intelligendum esse de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Et ita uidetur, hoc peccatum non esse grauisimum, sed magis peccatum infidelitatis.

Trabat. 89  
in luan in-  
m medium  
& p. 101. 11  
11. 72. ar.  
3. ad 2. q.  
73. 3.

Respondeo dicendum, quod (sicut in 2. par. dictum est) dupliciter aliquod peccatum potest dici grauius alio: Vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem secundum rationem sua speciei, que attenditur ex parte obiecti. Et secundum hoc, quanto id, contra quod peccatur, est maius, tanto peccatum est grauius. Et quia diuinitas Christi est maior humanitate ipsius, & ipsa humanitas potior, quam sacramenta humanitatis, inde est, quod grauisima peccata sunt, que committuntur in ipsam diuinitatem: sicut est peccatum infidelitatis & blasphemie. Secundario autem sunt grauius peccata, que committuntur in humanitatem Christi. Vnde & Math. 12. dicitur: Qui dixerit uerbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Tertio autem loco sunt peccata, que committuntur contra sacramenta, que pertinent ad humanitatem Christi. Et post hoc sunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum est grauius alio ex parte peccantis: puta, peccatum quod est ex ignorantia vel infirmitate, est leuius peccato, quod est ex contemptu, vel ex certa scientia. Et eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc, istud peccatum in quibusdam potest esse grauius: sicut in his, qui ex actuali contemptu, cum conscientia peccati, ad hoc sacramentum accedunt, in quibusdam uero minus graue: puta, in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod peccatum est multis alius grauius secundum suam speciem, non tamen est omnium grauisimum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum indigne summentium hoc sacramentum, comparatur peccato occidentium Christum, secundum similitudinem (quia utrumque committitur contra corpus Christi (non tamen secundum criminis quantitatatem). Peccatum enim occidentium Christum, fuit multo grauius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria: hoc autem peccatum est contra corpus Christi, in specie sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo: non autem hoc peccatum.

Ad secundum dicendum, quod fornicator accipiens corpus Christi, comparatur Iuda Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis (quia uterque ex signo charitatis Christum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatatem, sicut etiam prius dictum est. Hec tamen criminis similitudo non minus competit aliis peccatoribus, quam fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum. Et tanto magis, quanto peccata sunt grauiora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti, in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subicitur, & ita impeditur sermo dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen ponderat impedimen-

tum ipsius charitatis, quam seruois eius. Vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesia unitate simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum Ecclesiastica unitatis, ut supra dictum est. \* Vnde & q. 79. ar. 1. & q. 73. ar. 4. grauius peccat infidelis, accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator, & magis contemnit Christum secundum quod sub hoc sacramento: præsertim si non credat, Christum uere sub hoc sacramento esse, quia quantum est in se, dimittit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento; quod est contemnere ipsum sacramentum in se ipso. Fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum, non in se ipso, sed quantum ad usum, indigne accipiens. Vnde & Apostolus 1. Cor. 11. assignans rationem huius peccati, dicit. Non iudicans corpus Domini: id est, non discernens ipsum ab alio cibo, quod maxime facit ille, qui non credit, Christum esse sub hoc sacramento.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui projiceret hoc sacramentum in lutum, multo grauius peccaret, quam ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens. Secundo, quia homo peccator est capax gratie, unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quam quæcunque alia irrationalis creatura. Vnde maxime inordinate ueretur hoc sacramento, qui projiceret ipsum canibus ad manducandum, vel, qui projiceret in lutum conculcandum.

Littera D. Thomæ est perspicua: de re autem ipsa dicemus sequenti disputatione.

DISPUTATIO LXVI.

De spiritali dispositione necessaria ex præcepto ad suscipiendum hoc sacramentum.

**N**ecipimus disputare de præceptis pertinentibus, ad usum huius sacramenti. In de Eucharistia duo interueniunt persone ad quas sunt.

possunt hæc præcepta pertinere, nimirum suscipiens, & dispensans sacramentum, de quibus suo ordine dicendum est. Primo de suscipientibus, cum D. Thom. infra. quaest. 82. Rursus in ipso usu duo vel tria possunt considerari, scilicet modus eius ex parte suscipientis, quo spectat, ut cum hac dispositione, vel illa sumat, vel exercitium eius, scilicet, quod interdum sumat, vel modus eius ex parte sacramenti, scilicet, quod in vna vel duabus speciebus sumatur. Et circa hæc omnia possunt uerari diuersa præcepta: de quibus ordine proposito dicemus sequentes ordinem articulorum D. Thom. In hac ergo disputatione agimus de præcepto præscribente modum in spiritali dispositione necessarium ad dignam sumptionem huius sacramenti, quod potest explicari, vel per modum præcepti negatiui, scilicet, ut nemo communitur in peccato mortali, vel affirmatiui, mandatis potius specificationem actus, ut sic dicam, quam exercitium, scilicet, ut hoc sacramentum in gratia recipiatur; hoc enim præcepto non mandatur exercitium actus, sed ut fiat, tali modo fiat.

SECTIO I.

Verum sit peccatum mortale recipere hoc sacramentum in peccato mortali sine ulla dispositione.

**S**uppono primam ac maxime necessariam dispositionem ad dignam manducationem huius sacramenti esse characterem baptismalem, sine quo nullus, quantumuis iustus, seu contritus potest digne suscipere hoc sacramentum, quia non est capax effectus

Abri. baptis-  
mo nullus est  
capax Eu-  
charistia.

etus eius, vt supra dictu est, quia Baptismus est ianua ad cetera sacramenta, vnde qui non est baptizatus, non solum dici potest indispotus, sed etiam incapax sumptionis huius sacramenti, quoad significationem & effectum sacramentalem: nam sicut, qui non est genitus, nutrir non potest, ita qui non est regeneratus in Christo, non est capax alimentici eius, & ex hac parte sic sumit, & falsam reddit significationem huius sacramenti, si non regeneratus, illo nutrir velit, etiam si alioqui peccator non sit.

*Heresis circa hoc qua sitnem. Rossensis. Bellarmin.*

Igitur quæstio superest de dispositione necessaria in homine baptizato, in quo hæretici huius temporis (vt referunt Rossensis art. 15. Bellarminus, & alij) nõ solum dispositionem gratiæ non requirunt, verum potius asserunt, quo magis eius conscientia peccatorum onere grauat, eo melius esse dispositu ad hoc sacramentu recipiendum, dummodo firmiter credat, ea peccata sibi non esse imputanda, propter Christum, quia hoc sacramentum non solum est cibus animæ, sed etiam medicamentum, vt aures dicitur Mat. 9. Non sani egēt medico, sed qui male habent. Hi vero hæretici errant in primis in generali doctrina de iustificatione & remissione peccatorum, dum existimant, peccata non tolli, sed solum non imputari, idq; non per veram penitentiam, sed per solam fidẽ. Deinde specialiter errant in effectu, sine & institutione huius sacramenti. Putant enim, esse institutum ad tollenda peccata mortalia, idq; solum excitando fidem, de quibus in superioribus satis dictum est. His ergo omnis:

*Qui accedit ad Eucharistiam sine dispositione ad gratiam. Scium conscientia peccati mortalis testatur peccat. 1. Cor. 11.*

Dico primo, Accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, & sine dispositione sufficienti ad gratiam, est peccatum mortale. Conclusio est absolute de fide, licet in modo explicandi illa possit esse inter Catholicos diuersitas, vt scet. 3. videbimus. Probat autem conclusio ex illo Pauli 1. ad Corint. 11. Probat autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi. Vbi sermo est de probatione mortum per recognitionem, seu examinationem conscientie, vt supra ostendimus, agentes de dispositione necessaria ad effectum huius sacramenti, vnde ille dicitur indigne sumere, qui accedit cum praua conscientia; Manducare autem sibi iudicium est, nouam culpam ex tali manducatione contrahere. Atque ita exponit hunc locum Concil. Trident. sess. 13. c. 7. & significat Origen. Hom. 5. in diuersos, vbi tractans illa verba Centurionis: Dñe non sum dignus, vt intres sub tectum meum, inquit, Quando māducas, & bibis corpus & sanguinẽ Dñi, tunc Dominus sub tectum ingreditur, & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Dñe non sum dignus, vt intres sub tectum meum, vbi enim in indigno ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipit. Clarius hom. 2. in Plalm. 37. prope finem. Communicare, inquit, non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus ac purus, quau nihil in te sit indigni, & in his omnib. putas quod effugies iudicium Dei, non recordaris illud, quod scriptum est: Quia propterea in vobis multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi? Quare multi infirmi? Quoniam non se ipsos diiudicant, neque se ipsos examinant, neque intelligunt, quid est accedere ad tanta sacramenta, patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos præsumunt, sibi met ipsis inferentes exitium. Eandem veritatem ex eisdem verbis Pauli colligit Cyril. Alexan. lib. 12. in Leuit. non longe à fine, & Cyprian. lib. de lapsis circa medium, vbi adiungit illa verba Leuit. 22. Omnis mundus mādcauit carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne sacrificii salutaris, quod est Dñi, & immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Et illud 1. ad Corint. 10. Non potestis calicem Dñi bibere, & calicem demoniorum, &c. Atq; de eadem re elega-

*Cont. Trid. Origen.*

*Cyrrill. Cyprianus.*

ter loquitur in sermone de cœna Domini, Hier. Mar. 3. Turbæ inquit, quæ impediunt panem manducare, peccata & vitia sunt, quia, qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi. Et in idorus, libro de summo bono, capite 4. Qui scelerate viuunt in Ecclesia & communicare nõ desinunt, putantes se tali communione mudari, dicant, nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Propheta: Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sancte auferent à te malitias tuas? & Apoll. Probat seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Accedente Clemens Papa, lib. 7. const. capite. 27. Si quis inquit, sanctus est, accedat, si non est, curet, vt fiat per Dei misericordiam, & similis admonitio habetur in antiquis liurgis. Multaq; similia adduximus supra in citato loco, de dispositione necessaria ad effectum huius sacramenti. Ratio vero huius conclusionis satis explicata est in comment. a. 4. & indicatur à Paulo illo verbo, Non diiudicans corpus Domini. In quo magna iniuria fit Christo, non discernendo interspersum, & vulgares cibos: Indicatur et à Concil. Trid. quia sancta, inquit, sancte tractanda sunt, multo ergo magis illud sacramentum, quod est omnium sanctissimum. Vnde intelligimus, huiusmodi præceptum nõ accedendi ad hoc sacramentum in peccato mortali, non esse positum, vel Ecclesiasticum, vel etiam diuinum, si proprie loquamur, sed naturale, id est, intrinsece, & ex natura rei consequens ex institutione, dignitate & significatione huius sacramenti, quemadmodum diximus, agentes de sacramentis in genere, nam illa omnia hic à fortiori locum habent.

Sed obicitur: Interdum potest homo obligari ad suscipiendum hoc sacramentum, quando moraliter loquendo non potest se ad gratiam disponere, vtili sit publico concubinario, vel habeat diuinitum ac vehementem odium inimici, quod deponere non possit, & maxime, si copia confessoris careat, & contritionis gradum non valeat attingere: nec denique absolutum propositum non peccandi de cetero concipiat, quod non solum ad contritionem, sed ad veram etiam attritionem est necessarium. Addeamus ad difficultatem explicandam, Deum ei negare auxilium ad dolendum de peccato, atq; ipsi peccatori constare se esse à Deo desertum, tunc ille non peccaret, accedendo ad hoc sacramentum sine dispositione, quam non potest habere: ergo non est per se malum in peccato accedere. Respondetur ad priorem partem, terminem esse posse in agendis ita perplexi, vt ex duobus malis mortalibus alterum simpliciter eligere cogatur. Vnde in præfenti casu, si quis reuera obligatur hoc sacramentum accipere, non erit illi impossibile, ita se disponere, vt digne accipiat, quod si hoc fortasse fit illi valde difficile, tenebitur cum diuina gratia eam difficultatem superare, quæ non illi deerit, si in se est, facit. Quod si tanta sit difficultas, vt moraliter censetur quædam impossibilitas, interdum esse poterit sufficiens ratio ad excusandum hominem, ne pro eo tempore communicare teneatur, & differat, donec paulatim eam difficultatem vincere, ac digne se disponere valeat, illa vero duo, scilicet obligatio communicandi, & impossibilitas digne communicandi, non possunt simul ac pro eodem tempore absolute & simpliciter coniungi. Quocirca ad alteram partem, quæ fingitur de homine delinuto à Deo, in primis negandum est, illud fieri à Deo, in hac vita. Deinde eo casu argumentandi gratia admissa, respondeo non teneri hominem istum ad hoc sacramentum suscipiendum, nec posse licite communicare: peccaret enim sic communicando, eodem genere sacrilegii, quo nunc peccat quilibet peccator indigne communicans, quia licet ille homo non possit digne communicare, possit tamẽ vitare actum, ne illum faceret sine debita circumstantia & honestate, ad quod obligatur ex vi huius præcepti, et quo agimus.

agim<sup>9</sup>, quod, vt supra dixi, negatiuum est, vel saltem negationem includit, non communicandi in statu mortalitatis peccati.

Dices ergo, si quis prohibeatur non communicare sicut nunc excommunicatus prohibetur, & communitur, duo peccata committit, alterum, quia exercet actum prohibitum, alterum, quia indigne communicat, non enim potest huiusmodi homo non indigne communicare, quando quidem ipsamet communitio aliud praeceptum violat, & peccat (suppono enim illum nullam habere ignorantiam, quae ab eiusmodi peccato eum excuset) Respondetur, concedendo, ibi esse duas causas seu rationes malitiae: an vero ex illis oriatur duplex malitiae specie distincta, vel tantum efficiant vnam grauiorem, speculatiue controuerti potest: sed res est parui momenti, quamuis posterior pars videatur verisimilior, quia totus ille est vnus actus eidem honestati religionis contrarius cui plures circumstantiae necessariae desunt, quia non solum sit, quando non debet, sed etiam quomodo non debet fieri, quod augmentum ad eandem speciem pertinet: vt si quis comedat tempore prohibito, & in qualitate & quantitate prohibita. Sed quidquid sit de speculatiua quaestione, praeterea tamen & in ordine ad confessionem, existimo, eam circumstantiam esse talem, quae aperienda sit, quia plurimum aggrauat, ac merito variare potest morale iudicium. Hic vero occurrebat alia difficultas, an tangere hoc sacramentum in peccato mortali, sit peccatum mortale, sed eam commodius tractabimus infra, disputantes de dispensatione huius sacramenti.

Dico secundo, Recipere hoc sacramentum in peccato veniali, vel etiam peccando venialiter in ipsa sumptione, non est ex eo capite peccatum mortale. Haec est communis sententia. Et ratio est: quia nec circa hoc est speciale praecipuum posituum, neque ex sola natura rei potest colligi tale peccatum: quia haec non est grauis iniuria vel irreuerentia, quia per peccatum veniale non ponitur impedimentum principali & quasi essentiali effectui sacramenti, cum tale peccatum non excludat charitatem, ergo non committitur grauis fictio aut simulatio: ergo nec peccatum graue. Et confirmatur, quia alioqui non possunt ad hoc sacramentum accedere, nisi sanctissimi viri quis enim est, qui non merito timere possit, non solum, ne in peccato veniali sit, sed etiam ne in ipsa sumptione venialiter peccet, vel ex vana aliqua intentione, vel ex negligenti distractione, aut alia simili causa. Et confirmatur ex c. Si non sunt, de consecr. di. 2. vbi ex sententia Hyl. sic dicitur: Si non sunt tanta peccata vt excommunicetur quis, non se debet a medicina corporis & sanguinis Domini separare, & in c. Si quiescuntque, dicitur ex sententia Amb. Qui semper peccato, deo semper accipere medicinam.

Sed quaeres, an saltem sit veniale peccatum in ea dispositione sumere hoc sacramentum. Maior distinctio. 9. qu. 1. ad 1. absolute negat, quamquam est, inquit, bene impudens, qui cum proposito venialiter peccandi communicat. Richard. etiam ibi art. 2. q. 1. ad 2. simpliciter docet, non peccare, qui cum veniali peccato communicat. idem Adrian. qu. 1. de confessione Soto dist. 12. q. 1. art. 4. licet sit dubius, tamen in hanc sententiam est magis propensus. In contrarium vero est, quia illa videtur aliquis irreuerentia, maxime si peccatum veniale, vel propositum eius in ipsomet actu communionis committatur, vel habeatur. Et confirmatur ex Anselm. 1. ad Cor. 11. dicente: Indigne accedit, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commisit, & non est confessus. Quod cum non possit intelligi secundum aequalitatem, necesse est, vt saltem secundum quandam proportionem intelligatur; nam qui graue peccatum commisit, indigne accedit mortaliter peccando: qui autem multa venialia, indigne etiam saltem venialiter. Confirmatur

secundo ex verbis August. libr. de Ecclesiast. dogmat. c. 53. quae referuntur in c. Quotidie, de Consecr. di. 2. vbi cum dixisset: Si adhuc habet voluntatem peccandi, grauius magis dico Eucharistiae perceptione, quam purificari, Et ideo, quis quis peccato mordeatur, peccandi non habet de cetero voluntatem, & communicatur satisfaciatur lacrymis, & c. subdit inferius, sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Sentit ergo Aug. vel potius Genad. quod recipere Eucharistiam sine poenitentia venialium peccatorum, grauet conscientiam: erit ergo, vt minimum, peccatum veniale.

Dicendum in primis videtur, si peccatum veniale sit aliquo modo circumstantia ipsius actus comicandi, peccatum esse veniale sic comicare, vt v. g. si quis communicet propter ostentationem, seu vanam gloriam, vel certe si actu sit in ipso peccato veniali, vt in vana aliqua cogitatione, aut delectatione, & ea ratione accedat distractus, & sine debita attentione & deuotione. Ratio est, quia si non habeat circumstantias debitas, est aliquo modo malus, ergo, vt minimum, erit peccatum veniale. An vero tunc impediatur effectus ex opere operato, supra tractatum est. Deinde, si quis consuetudinem habeat committendi multa venialia peccata, vel certe conscientiam sentit eorum multitudinem onerata, & ideo ad spiritualia tractanda tepidam, & quodammodo indispositam, non videtur posse excusari a culpa veniali, si sine vilo dolore aut proposito emendandi vitam, ad Eucharistiam accedat. Et hoc saltem probat ratio in contrarium facta, quae ille est aliquo modo indignus, & non satis diiudicat corpus Domini, & ponit obicem aliquibus effectibus huius sacramenti non contemnendis: quales sunt, remissio venialium peccatorum, & actualis feruor charitatis, ac denique quod caput est, non potest omnino excusari actio illa ab irreuerentia contra hoc sacramentum. Praeterea Anselm. & August. hoc, ad minimum, sentiunt, & in hunc modum explicari possunt, quamuis in rigore plus dicere videantur, praesertim Anselmus: nam Augustinus exponi posset, cum inquit, hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant, quod non distinguit illa a venialibus, sed ab eo statu conscientiae, quae licet mortali peccato mordeatur, tamen eorum multitudine non grauetur, nec obruitur, huic n. homini dat licentiam August. frequenter communicandi, praemissa confessione, illi vero minime, nisi post diurnam poenitentiam, etiam publicam, si peccatoris status publicus fuerit. Denique extra praedictos casus, si quis fortasse habeat

Si peccatum veniale sit, velut cum stantia communicationis, est peccatum veniale sic communicandi.

Peccatum veniale aliter accedens Eucharistiam cum conscientia multorum venialium.

Accedens Eucharistiam cum vno vel alio peccato habituali veniali non peccat, nisi venialiter.

Nulla actualis dispositio requiritur ad sumendum Eucharistiam ex praecipuo rigore praehuius sacramenti nullam actualem dispositionem requiritur. Ad vitandum autem peccatum veniale, illa interior attentio, ac reuerentia necessaria est, quam ex natura sua talis actus sacer, ac religiosus postulat, vt conuenientiori modo fiat. Excusabitur tamen homo ab huiusmodi culpa veniali, si fortasse ex naturali tantum distractione huiusmodi attentionem omittat, quia tunc nec voluntaria est, nec humana.

SECTIO

Cum Recipere Eucharistiam in peccato veniali non est ex eo capite peccatum mortale.

Dubium an sit veniale si accedere.

Aliqui negant.

Aliqui affirmant.

Quam graue peccatum sit indigna susceptio huius sacramenti in peccato mortali.

Cum consistat ex dictis, peccatum hoc ex genere suo mortale esse, inquirere possumus grauitatem eius, vel genericam, vel specificam, vel numericam seu individualcm.

Dico primo, peccatum hoc habere grauitatem sacrilegij virtuti religionis contrariam. Sic Hierony. epist. 22. ad Eustochium, in quosdam inuehitur, qui indigne communicabant. Ebrietat: sacrilegium copulantes aiunt, ablit, vt ego me a sanguine Domini abstineam. Et ratio est, quia hoc sacramentum est res maxime sacra, cui ex virtute religionis proprius cultus & reuerentia debetur: nam sicut Christi adoratio ad religionem spectat, ita & huius sacramenti veneratio Ergo iniuria, quae illi fit, contraria est religioni, atque adeo sacrilegium.

Hinc sequitur primo, hoc peccatum ex suo genere non esse tam graue, sicut illa, quae sunt contra virtutes Theologales, vt sunt odium Dei, Haereticis, desperatio: nam, vt recte fiat comparatio, debet maximum peccatum cum maximo conferri, alioqui nihil certum affirmari potest. In eo vero sensu ratio est clara: quia peccatum, quod priuat maiori honestate, ex suo genere grauius est. Item, quia illi virtutes sunt perfectiores religione, quia immediatius Deum attingunt: ergo eadem ratione vitia illis contraria sunt grauiora.

Secundo sequitur, hoc peccatum ex suo genere grauius esse, quam ea, quae sunt contraria virtutibus moralibus religione inferioribus. Quod eisdem rationibus ostendi potest: nam priuat perfectiori honestate, & immediate attingit Deum, vel res diuinas. Cum vero dicimus, peccatum hoc esse ex suo genere grauius, intelligendum est proprie, de genere, id est, quantum est ex vi suae rationis genericae: hoc enim immediate conuenit rationibus factis. An vero etiam in specie sit grauius quocunque alio peccato contra proximum, vel contra aliquam virtutem moralem, paulo inferius dicemus.

Dico secundo, Hoc peccatum in specie sua non est maximum omnium, quae religioni opponuntur: sed in 3. gradu, seu ordine constitui potest. Ita colligitur ex D. Tho. qui supponit, quod ex 10. 2. satis clarum est, contra eandem virtutem posse committi peccata specie diuersa, quia ab eodem medio variis modis recedi potest: inter peccata ergo, quae religioni opponuntur, primum gradum tenent illa, quae sunt contra Deum secundum se, seu contra diuinitatem eius: quia, quo excellentior est diuinitas ceteris rebus: eo iniuria illi facta grauior est. Et huiusmodi est blasphemia, periurium: & in hoc ordine annumerari solet peccatum contra Spiritum sanctum, quod Christi testimonio grauissimum est. In 2. gradu sunt peccata contra humanitatem Christi, vt in propria specie existit: quia illa proxime coniuncta est Deo, & maior est iniuria & irreuerentia, maiusque potest inferri nocumentum, quando in propria specie offenditur, ac laeditur. Tertium ergo ordinem constituit peccatum sacrilegij contra hoc sacramentum: quia in ipso realiter Christus continetur, quamuis sub aliena specie. Vnde inter omnes alias res sacras, hoc sacramentum maxime sacrum ac diuinum est: ergo iniuria & sacrilegium contra illud factum, maximum est, post alia enumerata. Additur ex D. Thom. hic, in hoc tertio ordine, posse esse varia sacrilegia, quae videntur specie diuersa, inter quae indigna sumptio, vel communicatio, non habet summam grauitatem: maius enim peccatum est, vt D. Th. hic docet a. 5. ad 3. projicere hoc sacramentum canibus ad manducandum, vel in lutum ad conculcandum illud, quae ex terminis ipsis

Eucharistia in mortali suscipere sacrilegium est

Non tam est graue peccatum sicut haereticis, desperatio, aut odium Dei.

Grauius tamen est illis, quae sunt contra virtutes morales.

Peccatum hoc non est omnium quae religioni opponuntur maximum in specie sua.

videtur manifestum: nam praese fert maiorem horrorem & iniuriam, & indicat animum magis aeternum, magisque Christo iniuriosum. Et praeterea id explicat D. Th. optima coniectura: quia peccator, licet indispotus ad vniionem cum Christo, quia peccator est, tamen de se est capax illius, quia homo est: at verum brutum est omnino incapax: & ideo maior est importio, maiorque abusus in illis actionibus.

Ex hac vero assertione sic exposita oritur dubitatio supra tacta: an hoc peccatum ex specie sua sit grauius homicidio, quod est contra iustitiam: aut adulterio, quod iustitiae & temperantiae repugnat: vel omnibus peccatis contra naturam, contrarijs castitati: & idem inquiri potest de ceteris oppositis virtutibus moralibus. Quidam enim Theologi ita existimant, vt Gabr. lect. 77. in Can. & Petr. Sol. lect. 12. de Euch. Ledef. in 4. 5. par. q. 21. ar. 5. Dot. d. 12. q. 1. a. 5. quid dicit, homicidium quidem esse grauius, quam in digna sumptio huius sacramenti ex fragilitate commissa: nihilominus tamen indignam sumptionem ex specie sua esse grauiorem: quia si ex contemptu fiat, grauius peccatum est. Quae ratio non admodum probat: quia, vt comparatio recte fiat, debent aequales circumstantiae ex parte operantis adhiberi. Haec vero sententiae fauent Patres, qui adeo exaggerant hoc peccatum, vt cum peccato cruciugentium Christum, & Iudae, qui cum vendidit, comparant illud Chrysol. Hom. 45. in Ioan. 61. ad populum. Remo. Conf. Matt. 26. & Beda Marc. 14. circa illa verba, per quem filius hominis tradetur. Anselm. & Theod. 1. ad Cor. 11. Haec vero sententia non placuit Durando, dist. 12. q. 4. & idem sentit Palud. q. 2. ar. 6. Primo, quia non habet illa opinio sufficientem fundamentum: nam in primis praedicti Patres, vt etiam D. Tho. notat, non secundum aequalitatem, sed secundum quandam proportionem, & imitationem, locuti sunt: quia sicut Iudas osculo tradidit Christum indignis hominibus ac inimicis eius, ita peccator communicando indigno, veluti quodam osculo Christum tradit homini indigno, eiusque inimico. Et sicut crucifixores Christi sanguinem Christi fuderunt in suam perniciem, ita etiam peccator quodammodo sanguinem Christi fudit in suum magnum detrimentum, quando illum indigno sumit. Ex hac vero analogia non potest inferri, vel hoc peccatum esse aequale illis, vel esse maius omnibus supra enumeratis. Rursus neque ex ratione sacrilegij potest concludi haec maior grauitas specifica, quia sub grauiori genere potest sine dubio contineri species aliqua moralis minus grauis, quam sit alia sub inferiori genere cetera: maius enim peccatum est peccatum contra naturam, quam furtum, licet illud sit sub genere intemperantiae, hoc vero sub genere iniustitiae, quod grauius est: & similiter grauius est homicidium, quam oratio inattracta: licet haec sit sub genere sacrilegij. Et in physicis speciebus est etiam probabile, id posse accidere. Ratio vero est, quia, licet obiectum virtutis contrariae secundum se sit nobilius, tamen modus attingendi illud potest esse inferior ac leuior. Denique quod ita fit in praesenti, potest in hunc modum exponi: nam homicidium inferit magnum nocumentum proximo, & irreparabile: indigna vero communicatio, quamuis sit Christo iniuriosa, re tamen ipsa, non inferit ei nocumentum. Ergo, licet Christus absolute sit nobilius obiectum, quam alius proximus, nihilominus haec eius iniuria potest ex specie sua esse leuius peccatum, quam homicidium. Quae omnia, vt minimum, faciunt contra: quae ueritatem hanc satis dubiam speculatiue: nec video, quomodo possit esse certa principia ad illam decidendam, si verum est illud principium, quod posterior sententia assumit: posse peccatum sub inferiori genere contentum, secundum specificam rationem suam esse grauius: de quo dubitari etiam posset: sed haec res ad 2. spectat. Et ideo nunc satis sit dicere, praeterea loquendo, fere semper illa peccata homicidij esse grauiora, vel

vel propter maius nocumentum, vel quia maiorem deformitatem & rectæ rationis euersionem præ se ferunt.

Supereft vero obiectio contra assertionem positam ex Augustino libr. 50. Homiliarum, Homilia 26. & habetur in cap. Interrogos. quæst. 1. vbi dicit: non esse minus peccatum, indigne audire verbum DEI, quam indigne communicare: quia non est minus, inquit, verbum Dei, quam corp⁹ Christi: quod fere eisdem verbis prius dixerat Origen. Hom. 13. in Exodū, vbi ait, non esse minorem culpam, negligere verbum Dei, quam corpus Christi: sed neglegere verbum Dei, aut negligenter & sine fructu illud audire, non est peccatum adeo graue: ergo neque indigne communicare. Respondetur imprimis hæc videri dicta per quandam hyperbolen & exaggerationem, & aliquo prudenti moderamine esse temperanda. Nam si proprie fit sermo de verbo Dei formaliter id est, de prædicatione, seu doctrina diuina, non potest secundum æqualitatem intelligi: cum dicitur: verbum Dei non esse minus, quam corpus Christi: sed secundum quam habitudinem, & respectum ad diuinam personam: ac si diceremus: non esse minus verbum Regis, quam corpus Regis: vel sicut dicimus, non esse minus venerandam imaginem Regis, vel alium, qui gerit personam eius, quam ipsum Regem: si vero loquamur de verbo Dei obiectiue, sic secundum veram æqualitatem nõ est minus verbum Dei, quam corp⁹ Christi: quia res, quæ hoc verbo prædicatur, non est minus digna, atque hoc modo negligere verbū Dei, potest esse grauisimum peccatum, quia sub hoc genere comprehendendi potest contemptus fidei, & ipsius Dei, qui per verbum eius prædicatur. Afferit præterea huiusmodi peccatum ex se grauisimum nocumentum, quia verbum Dei est veluti organum, & instrumentum, quo Deus potissimum vtitur ad humanam salutem: & ideo illud contemnere, vel negligere, atq; indigne suscipere, non minora damna creare potest, quam indigne communicare.

Tertio, de grauitate huius peccati in indiuiduo dicendum est, ex variis atque inæqualibus circumstantiis, fieri posse, vt interdum sit grauius, interdū vero leuius, quam alia peccata, perfectiorib. vel minus perfectis virtutibus opposita. Hæc conclusio non indiget probatione: nam hoc fere commune est omnibus peccatis.

Duo vero, quæ circa illam docet D. Thomas, in dubitatione afferri possunt. Primum est, an accedere ad hoc sacramentum cum grauioribus culpis, sit semper, & ex se grauius peccatum. Aliquibus enim videtur, non semper ita esse, si peccata non sint eiusdem ordinis: quia maius malum est accedere cum peccatis carnalibus, quàm cum spiritalibus, etiam si hæc grauiora sint. Quod sentit Alenf. 4. part. quæst. 46. membr. 4. & 5. vbi variis vtitur distinctionibus, quas referre & examinare operosum esset, & parum vrile. Paschasius etiam libr. de hoc sacramento, periculosius dicit esse luxuriosis: ad hoc sacramentum accedere, quam aliis peccatoribus. Quod verū existimo, propter maius periculum incidendi in prauam ac detestabilem consuetudinem, etiam cōtemnendi paulatim. Nihilominus tamen per se loquendo, vera est regula, quam D. Th. statuit, grauius peccare, qui in peiori statu & cum grauioribus culpis accedit: quia est indignior: tum etiam, quia maius impedimentum ponit effectui huius sacramenti, maiorem fictionem simulat, cum simpliciter magis sit à Christo separatus. Ratione vero scandali, vel alterius circumstantiæ, accedere potest è conuerso, vt grauius peccet, accedendo ad hoc sacramentum, qui minora habet peccata.

Secunda dubitatio est, quis grauius peccet, fidelis peccator, vel infidelis, vel hæreticus? Quidam existimant plus peccare fidelem peccatorem, vt Palud.

Franc. Suarez Tom. 3.

4. d. 9. q. 2. & Carthuf. qu. 4. dicens, infidelem esse indigniorem, non tamen indignius accedere, quia fidelis operatur contra veritatem, & dignitatem sacramenti sibi cognitam: infidelis vero contra ignoratā. D. Thom. autem generaliter dicit grauius peccare infidelem: quia peccat contra ipsum sacramentum, & vsuum eius, cum tamen fidelis solum peccet contra vsuum. Quæ ratio solum videtur probare, infidelem grauius peccare sua infidelitate, qua negat veritatem sacramenti, quam fidelem indigna sumptione. Cum tamen hic non comparemus infidelitatem cum sacrilegio, sed precise sacrilegium infidelis cum sacrilegio fidelis. Dico tamen, etiam in hoc sensu, esse veram sententiam D. Th. moraliter loquendo ac per se, quia stat⁹ infidelis simpliciter est peior & indignior: quod autem aliqua ignorantia excusari possit, est per accidens: & interdum accedere potest, vt non intercedat: vt, si sit hæreticus circa alia mytheria, non vero circa hoc: interdum vero talis esse potest, & tam crassa, vt fere nihil excuset. Atq; ita per se magis aggrauat indignus infidelitatis status. Dico autem, moraliter considerando ex genere, seu ex obiecto ipso status: nam in indiuiduo fieri posset, vt sit tanta malicia, tantaq; multitudine, & acerbitas peccatorum hominis fidelis, vt simpliciter indignior sit, quam infidelis, & tunc iuxta responsonem datam præcedenti dubio negandum non est, illum grauius peccaturum, sic accedendo.

SECTIO III.

Vtrum habens conscientiam peccati mortali teneatur confessionem præmittere ante vsuum huius sacramenti.

Post decretum Concilij Tridentin. sess. 13. cap. 7. & Can. 11. non potest in dubium reuocari, an huiusmodi præceptum omnibus fidelibus impostum sit, quia in illis decretis expresse continetur, & certissimum est, habere Concilium potestatem ad huiusmodi præceptum imponendum, etiam si antea latum non fuisset. Quamquam, si tale præceptum à Concilio esset de nouo latum, dubitari posset, an obligaret omnes, & vbique, & an excusarentur aliqui, ex defectu promulgationis, vel acceptationis, vt postea dicemus. Hic ergo præcipue inquiritur, quale, quamq; antiquum sit hoc præceptum. In qua re duas reperiō sententias extreme contrarias. Prior affirmat esse præceptum iuris diuini naturalis, ex ipsa institutione sacramentorum intrinsece consecutum, ita sentit Syluest. verb. Eucharist. 2. quæst. 1. & inclinat Petrus Sor. lect. 12. de Eucharistia, & fauet Bonauent. distinct. 13. dub. 1. circa litteram, & distinct. 16. dub. 12. circa litteram, qui authores videntur hoc præceptum fundare in sola dignitate, & significatione huius sacramenti. Alij vero videntur hoc fundare nõ in solo hoc sacramento, sed in institutione eius simul cum institutione sacramenti Penitentia, vt interdū significat Scotus locis citandis: & inferius, refellendo hanc sententiam, melius explicabimus.

Secunda sententia est, hoc præceptum esse positium Ecclesiasticum: quæ duobus modis asserta est, quidam enim dixerunt, tale præceptum non esse nouum, nec Pontificio aut Conciliari decreto scriptum, vel introductum, sed Apostolica traditione, & perpetua Ecclesiæ consuetudine obseruatum. Ita opinatur Medina Cod. de confess. q. 17. quem recentiores aliqui secuti sunt, vt Palacius in 4. dist. 9. qu. 10. ad 1. & indicat Nauarrus de Penitent. distinct. 5. in princ. circa tertiam partem Glossæ, numer. 32. sentit enim, hoc præceptum ortum esse ex consuetudine Ecclesiæ, idem in Sum. capit. 21. numer. 49. Alij vero (quod minus tolerabile est) dixerunt, hoc præceptum esse nouum ac recens in Ecclesia: quæ sententia tribui solet Richard. Palud. & Adriano, quod negauerit, vsque ad sua tempora fuisse in Ecclesia tale

Xxx præce-

Carthuf.

Moraliter loquendo, grauius peccat infidelis accedens ad Eucharistiam, quàm fidelis.

Sententia

Syluest. res. Sor. Bonauent.

2. Sententia.

Medina. Palacius. Nauarrus.

Richard. Palud. Adrian.

Obiectio

Arguunt.

Soluit.

Tertio

Alij

Palacius

Gratius

D. Thom.

Palud.



præceptum, sed non aperte id negant, vt videbimus. Primus ergo author huius sententiæ videtur fuisse inter Theologos Caietanus hic, & in proprio quodam opusculo de hac re, & in Sum. Verb. Communio, & su per 1. Cor. 11. Eum secutus est Armilla, verbo, Comm unio, 5. vlt. & eiusdem sententiæ fuit Abbas in c. de ho mine, de celebrat. Missa. Fundamentum est, quia ad satisfaciendum iuri diuino naturali satis, quod homo accedat in gratia satis ergo erit; quod per contritionem ad illam se disponat, sicut etiam hoc sufficit ad ministranda sacramenta ex officio, vel ad recipiendâ alia sacramenta viuorum. Posituum autem diuinum ius ostendi non potest, neq; scriptum, neq; traditum: quin potius verba illa Pauli 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: significant, solum esse necessarium, vt vnusquisq; suam conscientiam examinet, & in certius se disponat, ac de seipso iudicium ferat; ita enim exponere videtur Chryl. Homil. 28. in illam epistolam dicens: Non precipit, vt alter alteri probetur, sed ipse sibi sine traductione, faciens iudicium, & sine teste redargutionem: quem imitatus Theophyl. inquit: Non alium tibi iudicem attribuo, sed te ipsum tibi ipsi commendo: iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede. Patres etiã omnes citati sectione prima, licet penitentiam requirant, nullam tamen confessionis faciunt mentionem. Et hinc vterius colligi videtur, hoc præceptum non fuisse in Ecclesia tempore horû Patrum, non potest autem ostendi, vbi fuerit postea latum ante Concilium Tridentinum: ergo non est fundamentum ad asserendum antea fuisse.

Caietan.  
Armilla.  
Abbas.

Chryl.  
Theophyl.

Semper fuit in Ecclesia prædictum præceptum. Tridentinum.

S. Thom.

Scotus.

Gabriel Durandus.  
Richard.  
Mans.  
Anton.  
Bonauen.

Paludan.  
Adrian.

Cyprian.

Dico primo, semper fuisse in Ecclesia præceptum præmittendi confessionem ante communionem, interueniente conscientia peccati mortalis, post Baptismum commissi. Ita docuit fere verbis apertis Conc. Trident. dicens: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Vbi aperte docet, non ipsum hanc necessitatem Ecclesiæ imposuisse, sed in Ecclesia semper fuisse. Probari autem primo potest ex communi consensu Theologorum, aperte id docet D. Thom. 4. distinct. 17. q. 3. art. 1. quæst. 4. & quodlib. 1. art. 11. & 1. ad Cor. 11. lect. 7. Scot. in 4. d. 9. q. vnica, vbi rationem adducit, quia non tantum Deo, sed etiam Ecclesiæ satisfacere oportet, priusquam recipiat sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Quæ est bona congruentia, vt latum sit præceptum, non tamen per se sola sufficit ad fundandum illud. Idem Scotus distinct. 17. artic. secundo, inter alia tempora, in quibus homines obligantur ad confessionem, ponit illud, in quo suscipienda est Eucharistia, idem Gabr. ibi qu. 1. & lect. 7. in Can. Durand. dist. 7. q. 4. & dist. 17. q. 10. Richard. dist. 9. art. 2. qu. 2. qui tamen dist. 17. artic. 3. quæst. 6. videtur hoc limitare, de quo postea dicam, tener etiam Maior dist. 17. quæst. 2. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 3. & idem supponunt Bonauen. & alij citati in prima opinione. Qui omnes non referunt, aliquem antiquorum sensisse contrarium, quod est signum communis confessionis valde receptæ: Paludan. vero distinct. 17. quæst. 2. & Adrian. quæst. 3. de confessione, tam ad alia sacramenta, quam ad Eucharistiam, dicunt præmittendam esse confessionem: quamquam significant, non esse peccatum mortale, illam omittere, si adfit contritio, in quo videntur primæ sententiæ fauere, quia nihil speciale dicunt de hoc sacramento.

Secundo potest hæc veritas colligi ex Cypriano, qui in suis epistolis vehementer inuehitur in eos peccatores, qui ante actam penitentiam, & ante reconciliationem Ecclesiæ ad communionem accedunt: imo & sacerdotes ipsos reprehendit, qui pec-

catores ad communionem facile admittebat, ante perfectam satisfactionem, vt videre licet in epist. 10. 11. 12. 14. 18. lib. de lapsis, & aliis locis frequenter. Atq; idem sentit August. epi. 118. c. 3. dicit enim, eum, qui conscientia peccati mortalis grauat, nõ suo, sed sacerdotis arbitrio, debere ad hoc sacramentum accedere, vel ab eo abstinere. Et author li. de Ecclesiast. dogmat. c. 53. sic inquit: Sacerdotis iudicio reconciliarum communioni sociari debere: & loquitur de eo, qui habet conscientiam mortalis peccati, & vt declarat, esse præceptum, subdit: Si vult non ad iudicium & condemnationem Eucharistiam percipere. Optimum vero testimonium est Leo. Papæ, epi. 91. c. 2. vbi sic inquit: Mediator Dei & hominum hanc præpositus Ecclesiæ dedit potestatem, vt & contentibus actionem penitentia darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, ad ianuam reconciliationis admitteret. De quo testimonio plura dicam in sequenti assertionem. Citati et potest. Chryl. Homil. 10. in Mat. sed ille locus obscurior est: sic enim inquit: Tempus confessionis, tam iis, qui baptismo loti sunt, q; profanis, incumbit: illis, vt ad gratiam restituti possint ad diuina mysteria accedere, his, vt loti & mundi per baptismum, possint communicare: vbi non potest loqui de sacramentali confessione, quæ locum non habet in iis, qui baptismo loti non sunt: loquitur ergo vel de confessione interiori, vel de illa exteriori confessione, qua vnusquisq; se peccatorem agnoscit, & ideo medicina ad tollenda peccata instituta vt cupit: nisi dicam, eum generatim de confessione esse locutum, & intellexisse singulis membris eî confessionis modum esse accommodandum, qui in vnoquoq; potest locum habere. Quæ expositio in verbis ipsis videtur habere aliquod fundamentum: nam iis, qui baptizati sunt, confessionem dicit esse necessariam, vt per eam ad gratiam restituantur: profanis vero, vt per baptismum mundentur, aliter ergo nullis, quam in his, confessionem requirit, & de eadem re legi potest idem Chryl. Homil. 60. & 61. ad populum.

Tertio fundatur præcipue hæc sententia in Ecclesiæ consuetudine, vt Concil. Trident. dixit, huius autem consuetudinis optimum iudicium est, consensus frequens antiquorum Patrum, & Doctorum. Deinde, signum etiam huius traditionis est, quia semper in Ecclesia obseruatum fuit, vt peccatores non prius ad communionem admitterentur, quam iudicio Ecclesiæ condignam satisfactionem faceret: & Ecclesiæ reconciliarentur, vt patet ex Concilio Niceno, Can. 11. & 12. & ex Concilio Ancyano, cap. 4. & sequentibus; & Concilio Elibertino in pluribus Canonibus. Et confirmari hoc solet ex historia Philippi Imperatoris, qui primus Christianus fuit, & a Pontifice ad participationem cum aliis fidelibus ante confessionem admissus non fuit, vt referunt Eusebius libro 6. histor. cap. 26. & Nicephor. libro 5. capit. 25. At vero si necessarium non esset, ad communionem confessionem præmittere, & absolutionem accipere, non essent hi peccatores a communione separandi.

Dico secundo, Hoc præceptum præmittendi confessionem ante communionem non potest satis colligi, ex solo naturali iure, etiam supposita institutione in vt riusq; sacramenti, confessionis, & communionis: si hæc non supponatur, nullus erit questio locus, confessionis vsus ex se & absolute non sit de iure naturalis. Probat ergo conclusio, quia tribus modis colligi potest hoc præceptum ex prædicta institutione præcise sumpta. nullus autem eorum est sufficiens: primus est, ex dignitate & sanctitate huius sacramenti, cum sit omnium sanctissimû & ipsum sanctitatis fontem in se contineat, vi, & natura sua exigit ab homine summam diligentiam moralem, vt sanctus atq; adeo in statu gratiæ, ad illud accedat: & similiter requirit, vt moralem dubitationem, quæ in hoc se potest

re potest, conuenienti etiam & morali modo conetur excludere. Sed medium ad hac omnia maxime accommodatum est confessio, quia iustificatio per solam contritionem multo est difficilior; multoq; magis incerta: ergo ex natura rei est confessio necessaria ad dignum usum huius sacramenti, supposita illius utilitate, sicut nunc tenetur sacerdos ex naturali lege charitatis, subuenire per confessionem peccatori extreme indigenti, quia, licet per contritionem saluari possit, illud est valde difficile & incertum: quae obligatio ex sola rei natura nulla esset, si nullum esset sacramentum confessionis: supposita vero eius institutione, ex natura rei consequitur; abque alia lege positua: sic ergo videtur dicendum in praesenti. Nec sequitur, idem esse dicendum de ceteris sacramentis: quia, cum hoc sit singularis excellentiae & dignitatis, ipsa ratio dicat, in illius usu maiorem ac singularem diligentiam esse adhibendam, vt cum debita dispositione fiat. Qui discursus est quidem probabilis, & optime declarat congruentiam huius praeccepti: non tamen videtur per se solum sufficiens ad praecceptum fundandum. Ratio est, quia ex vi solius iuris naturalis, solum praecipitur sancta sancte tractare, & ad sacramentum non accedere licite: ergo, si per contritionem hoc praeter homo, atque de hoc sit moraliter certus; eo modo, quo per humanas coniecturas esse potest, id satis erit, vt naturali obligationi satisfaciatur: quia in rebus agendis, regulariter ac moraliter loquendo, non tenetur homo adhibere summam diligentiam ac certitudinem, sed probabilem & humanam: dico autem, regulariter, quia in periculo damnationis perpetuae, quod in articulo mortis occurrit, propter rei magnitudinem, & propter periculum maximi detrimenti, quod non tantum in conscientia & existimatione, sed in re ipsa existit, est peculiaris ratio, vt debeat homo, quoad possit, omnem dubitationem excludere. Quae ratio non ita procedit in praesenti, quia, si homo accedat cum probabili conscientiae existimatione, quamuis in re ipsa decipiat, nullum in re ipsa sequatur irreparabile detrimentum, nec propria & foralis iniuria sacramenti. Secundo a signo euentius ostenditur, non esse hoc proprium fundamentum huius praeccepti: nam contingere potest, quod aliquis sit certior de sua contritione, quam alius de attritione sua, & de sanctificatione per sacramentum, & nihilominus ille tenetur confessionem praemittere, alter vero per illam dispositionem suae obligationis satisfecit, & non tenetur ad contritionem procurandam, vel alium dolorem; dummodo probabiliter credat, se esse attritum, & rite confessum: quomodo, etiam si alicui per reuelationem constaret, sibi esse per contritionem remissum peccatum: nihilominus teneretur confessionem praemittere; ergo signum est, hoc praecceptum non fundari in certitudine procuranda de statu gratiae. Dices: ergo etiam si alicui constaret, post confessionem factam non fuisse sanctificatum, non teneretur amplius se disponere ad hoc sacramentum. Respondetur, negando sequelam: nam, vel reuelatur illi, confessionem fuisse inualidam, & tunc debet iterum confiteri, quia reuera non fuit sacramentaliter confessus: vel validam: informem tamen, & sine effectu, & tunc non tenetur quidem iterum confiteri, tenebitur tamen disponi, vt prius gratiam consequatur, quam ad hoc sacramentum accedat, quia hoc ex naturali lege est necessarium, vt dictum est.

Secundus modus colligendi hanc obligationem sumitur ex significatione huius sacramenti: est enim signum vnionis Ecclesiae visibilis cum suo capite Christo, & membrorum eius inter se: ergo ex vi suae significationis & institutionis postulat, vt, qui ad illud accedit, sit Christo coniunctus: non tantum interius & inuisibiliter, sed etiam exterius per sacramentum.

Fr. Suarez Tom. 3.

mentum visibile: atque etiam, vt non solum sit reconciliatus Deo inuisibiliter, sed etiam Ecclesiae visibiliter, quod fit per confessionis sacramentum. Quae ratio facta etiam est ad explicandam aliam congruentiam huius praeccepti: non vero sola sufficit ad fundandum illud: primo, quia saepe, aliquis est in peccato mortali interiori, aut occulto, qui, quoad exteriorem vnionem, eodem modo est Ecclesiae coniunctus quod alia membra viua. Secundo, quia per contritionem, & signa exteriora eius, Ecclesiae exhibitae censeri potest peccator coniungi Deo & Ecclesiae satis visibiliter: sicut quando sacerdos ministrat aliquod sacramentum, licet se gerat, vt publicus Ecclesiae minister, satisfacit suae obligationi, si confessionem praemittat, vel mere exterius vel etiam interius, exhibendo signa eius, prout ratio, vel status eius id postulauerit. Quomodo etiam dixit Christ. Matt. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, vade & reconciliare prius fratri tuo.

Tertius modus est: vt hoc praecceptum colligatur ex institutione vtriusque sacramenti, communionis & confessionis; cum potestate clauium data Ecclesiae & sacerdotibus eius: haec enim potestas clauium quae est supra corpus Christi mysticum; deriuatur ex potestate supra corpus Christi verum: ad quod tanquam ad finem ordinatur. Data enim est haec potestas ad disponendos fideles, vt digne ac conuenienter possint verum Christi corpus accipere: ergo ad hanc potestatem clauium pertinet, vel dignos admittere, vel indignos repellere, vt Leo Papaloco supra citato significat, & habetur in c. Multiplex. de Pœnit. distinct. 1. ergo non possunt fideles peccatores digne ad hoc sacramentum accedere, nisi prius huic potestati clauium se submittant, vt per eam diiudicentur. Quae ratio aliam continet congruentiam huius praeccepti. Sed, nisi illud aliunde latum esse ostendatur, non posset ex hac sola institutione colligi, quia ex institutione Eucharistiae & potestate clauium, vt in sacramento poenitentiae exercetur, non sequitur necessarius ordo vel connexio, inter usum vnus & alterius sacramenti: Tum quia illa potestas per se & absolute data est ad remissionem peccatorum. Tum etiam quia, licet fateamur, datam esse propter hoc sacramentum, vt melius & facilius disponantur homines ad illud suscipiendum, tamen ex hoc praecise non potest colligi necessitas, sed utilitas, scilicet, vt, qui voluerint, possint facilius & melius se disponere.

Dico tertio, hoc praecceptum praemittendi confessionem ante communionem esse diuinum posituum, à Christo Domino specialiter latum, & Apostolis, & per eos Ecclesiae traditum. Hanc conclusionem indicant antiqui Theologi, quatenus designando tempora, pro quibus obligatur homo ad confessionem, sine Ecclesiae determinatione, vnus esse dicunt, si suscipienda sit Eucharistia, sentiunt ergo hoc tempus esse iure diuino determinatum per hoc praecceptum, de quo agimus. Apertius hoc docent recentiores: Soto, in 4. distinctione 15. quaestio. prima, articulo 4. Al-  
 Solo  
 Petr. Soto,  
 Cano,  
 Cordub.  
 Osar.  
 Cyprian.  
 Trident.



Et in eis contineri præceptum, sic enim inquit, Quæ-  
re communicare volenti reuocandū est in memoriā  
eius præceptū, Probet autem se ipsum homo, In quib.  
verbis videri potest ambiguum; an hoc vocet præcep-  
tum Apostoli, vel Christi: quia vtriusque mentionem  
fecerat. Tamen sine dubio intelligendum est illud re-  
latiuum, eius, nō referre Apostolum, sed Dominum,  
cuius mentio immediate præcesserat, & ex ipso etiā  
Paulo colligi potest, q̄ ante omnia illa, q̄ de hoc sacra-  
mento tradit, præmittit illa verba. Ego enim accepi à  
Domino, quod & tradidi vobis. & postea cætera per-  
sequitur, inter quæ hoc præceptum continetur, præ-  
ponit ergo illud tanquam à Christo traditum, nam si  
præceptum aliquod à se latum proposuisset, vti quæ  
distingueret illud, sicut in eadem epist. cap. 7. fecerat.  
Addit vltimus Concilium: Ecclesiastica consuetudo  
declarat, vt nemo sibi conscius alicuius criminis sine  
præua confessione accedat. Quæ verba Concilij va-  
rijs modis intelligi possunt, primū, vt docere voluerit  
atque exponere, Paulum esse locutum de probatione  
per confessionem. Sed hic sensus difficilis creditur est:  
tum, quia verba Pauli generalia sunt, tum et, quia  
ratio illa, quam subdit illis verbis. Qui enim manduca-  
cat, & bibit indignè, iudicium sibi māducat & bibit,  
satis indicat cum non agere de obligatione orta ex  
speciali præcepto præmittendi confessionem, sed ex  
generali lege digne, & sanctè tractandi quæ sancta  
sunt, ergo in illis etiā verbis, probet se ipsum homo,  
generatim etiam loquitur Apostolus & præcipit, vt  
homo debitam diligentiam adhibeat. Alio igitur  
sensu declaranda sunt verba Concilij, scilicet quāuis  
verba Apostoli ex se generalia sint, tamen Ecclesia-  
sticam consuetudinē declarasse, eam probationem,  
ac diligentiam per confessionem esse faciendam, in-  
terueniente culpa morali. Sed hæc ipsa Ecclesiæ de-  
claratio dupliciter interpretari potest, primū, quod  
Ecclesiastica consuetudo introduxerit, ac determi-  
nauerit eam probationem, quæ de se indifferens è-  
rat, ad obligationem faciendi illam per confessionē,  
quo sensu verba Concilij verba, etiam si hoc  
Præceptum Ecclesiasticum esset: sicut dicere possumus,  
Ecclesiasticam consuetudinē declarasse, Sa-  
cerdotes alendos esse decimis, aut ieiunia esse seruā-  
da tali modo & tempore. Tamen hic sensus non vi-  
detur ita proprius, nec à Concilio intentus, alias po-  
tius dixisset, Ecclesiasticam consuetudinē hoc in-  
troduxisse aut determinasse, vnde, cum tantum dixit  
(declarat) indicare voluit, hoc ius non esse intro-  
ductum ab Ecclesia, sed perpetuo obseruatū, & hoc  
deklarasse Ecclesiasticam consuetudinē. Qui sensus  
præter vim & proprietatem verborum, inde etiā  
confirmari potest; quia solet Concilium quando  
præceptum est Ecclesiasticum, illud explicare, sicut  
sessio 22. cap. 7. fecit de præcepto mistendi aquam  
vino in sacrificio, hic autem diligenter abstinuit ab  
omni verbo, quod posset solum Ecclesiasticum præ-  
ceptum indicare. Confirmatur, nam iuxta regulam  
Augustini libro 5. de Baptismo. capite 24. iudicium  
iuris diuini est, quando aliquid ab vniuersa Ecclesia  
obseruatur, quod neque ab aliquo Pontifice, neque  
à Concilio, præceptum est, sed initium eius ignora-  
tur ac perpetuo in Ecclesia obseruatum est, sed hu-  
iusmodi est hæc consuetudo de qua agimus, vt Con-  
cilium significat, & ex dictis non obscure colligitur.  
Denique talis est hæc lex, vt semper ac in omni ætate,  
& tempore utilis futura esset Ecclesiæ, imo & videtur  
esse talis, vt Papa in ea dispensare non possit. Poterit  
quidē interpretari, an in tali opportunitate obliget,  
necne: tamen, supposita obligatione, non potest in ea  
dispensare: nec hoc vnquam visum est in Ecclesia.  
Hæc ergo omnia simul sumpta sufficientia indicia  
sunt diuini iuris.

August.

Dubium.

Sed quæres, quo certitudinis gradu hæc veritas  
tenenda sit: denique Tridentinum Concil. sanxerit,  
quando in can. 11. sess. 13. imponit excommunica-

tionis penam in ipso facto incurredam, in eos, qui præ-  
dicauerint, docuerint, aut defenderint, non esse ne-  
cessarium præmittere confessionem ante commu-  
nionem? Nam vel solum loquitur de ijs, qui negant  
hoc esse necessarium post decretum eiusdem Con-  
cilij: & in hoc sensu res videtur adeo clara, vt apparcat  
superflua, nam cum Concilium dixisset, Sancta Syn-  
odus statuit, declarat ac decernit, nemo sine aperto  
errore potest negare, post illud decretum, hoc esse  
necessarium, quia esset contra verba eius, aut etiam  
contra potestatem eius. Vel illis verbis Concilij do-  
cēt, vt teneamus ac doceamus, hoc fieri per fuisse ne-  
cessarium: & hoc etiam est nimium extendere illam  
penam, quæ non videtur extendenda, sed coarctan-  
da. Primum, quia in Concilio nullum est verbum de  
præterito, scilicet, necessarium semper fuisse: sed de  
præsenti, necessarium esse: deinde, quia non sine my-  
sterio in illo canone posuit illa duo verba, statuit ac  
declarat, etiam in c. 7. vbi non tradit præceptum,  
sed doctrinam, solum vltimū verbum declarandi.  
Denique cum ad mores non fuerit necessarium, non  
videtur verisimile voluisse Concil. Scholasticam cō-  
trouersiam dirimere, aut alteram opinionem dam-  
nare. Quocirca in hac mente Concilij explicanda au-  
thores, qui post illud scripserunt, varij esse videntur,  
quidam enim dicunt, illam penam latam esse in eos,  
qui sententiam Caietani nunc defendere audeant,  
quam propterea dicunt, hunc esse in fide erroneam:  
ita sentit Catus supra, & Catherinus lib. 5. cōtra Cai-  
etan. & Sixtus Senensis lib. 8. Biblior. hæc sanctæ an-  
not. 261. Alijs autem placet, posteriorem expositionem  
Concilij esse veriorē, in quam partem inclinat Pe-  
trus Soto supra, & Victoria in Summa ti. 7. Mihi vi-  
detur, directam intentionem Concilij fuisse, simpli-  
citer penam illam imponere in eos, qui aut fuerint  
quocūq; titulo, vel quocūq; colore, negare obligati-  
onem præmittendi confessionem ante communionem.  
Vnde si quis diceret hoc non esse alicubi necessarium,  
vel quia ibi non est promulgatū Concilium, vel quia  
non est receptum contra intentionem Concilij agere-  
ret & prædictam penam incurreret, vt exitum, quia  
illa est veluti definitio quædam pertinens ad doctri-  
nam quæ in Ecclesia tenenda est, & docenda, & est v-  
niuersalis absque vlla limitatione, & Concilium non  
fundat illam in præcepto à se lato, sed in necessitate,  
quam Ecclesiæ consuetudo declarat, vt in c. 7. dixerat,  
& ideo simul vtrius verbo statuenti, & declarandi,  
quia & statuit nouum præceptum & declarat anti-  
quum & ideo absollite decernit, hoc esse necessarium.  
Quo fit, vt consequenter Concilium rejiciat Caieta-  
ni sententiam, quia non potest aliter consistere vni-  
uersalis obligatio, & necessitas, quam Concilium sta-  
tuit, nisi fundetur in antiquo præcepto, & non tantum  
in nouo. Quapropter plus esset, quam temerarium,  
nunc defendere Caietani opinionem, non tamen in-  
curreret excommunicationē à Concilio latam, quia  
ita sentiret, donec aliquem actum exerceret eorum,  
quos Concilium numerat, qui sunt docere, prædicare,  
pertinaciter asserere, aut publice defendere, non esse  
necessarium consistere ante communionem. Admit-  
tendo autem hoc vniuersale, & antiquum præceptū,  
an illud sit iuris humani, vel diuini, mera opinio est,  
nos tamq; sententiā solum vt probabiliorem, & mi-  
gis piam defendimus.

Quod attinet ad fundamentum secundæ senten-  
tiæ, iam explicauimus, vnde hoc præceptū colligant,  
& quomodo verba Pauli intelligenda sint: Nam licet  
confessionem expresse non requiratur, tamen sub ver-  
bis eius optime intelligi potest: Nam confessione  
primè homo probat seipsum, suāq; conscientiam exa-  
minat, & consuetudo Ecclesiæ declarat, ita esse in-  
telligendam illam probationem, & Concilium dixit.  
Ex quo etiam nos adiungimus, eandem consuetudinē  
deklarare sanctos Patres, quando Pœnitentiā ad co-  
munionem requirunt, intelligendos esse de Pœni-  
tentiā

Catus,  
Catherinus,  
Soto,  
Victoria.

Rich.

entia sacramentali propria Christianorum. Et similiter dicimus, Chryostomum non excludere iudicium confessionis, quod non est tam humanum, quam diuinum, & in eo solus reus est accusator & testis, sola ergo excludi aliam manifestationem vel publicationem delicti, vt latius in materia de confessione dicturi sumus, vbi etiam tractabimus aliud dubium, quod hic occurubat, an committat duo peccata, qui sine praua confessione communicat, cum conscientia mortalis peccati, pendet enim ex aliis ibi tractandis, & ideo illud remittimus.

## SECTIO IV.

*Quibus de causis liceat communicare sine praua confessione post peccatum mortale commissum.*

**D**uo sunt certa, primum est, interdū licere ei, qui peccauit mortaliter, sine praua confessione Eucharistiam accipere. In hoc enim conueniunt omnes Theologi citati, & idem significat Concilium Tridentinum. Ratio vero est, quia hoc præceptum, vt diximus, positum est: præcepta autem positiua non obligant semper in omni casu cum quouis discrimine; præsertim, si hoc præceptum consideretur, vt affirmatiuum præcipiens actum confessionis, natura cuius est, vt obliget semper, non tamen pro semper, & ideo tales possunt occurrere circumstantiæ, vt prout non obliget; si vero non consideretur vt negatiuum, non prohibet rem intrinsece malam, sed potius facit malam, quia prohibitam, & ideo etiam fieri potest, vt excusetur illa obligatio, & tollatur talis malitia. Secundo est certum, duas debere circumstantias vel conditiones concurrere, vt hoc liceat, quas Concilium Tridentinum, his verbis posuit: (necessitate urgente, & modò desit copia confessoris. Et ratio est, quia præceptum diuinum obligat, vbi impleri potest. Ergo vbi nulla est necessitas agendi aliter, quã præceptum est, omnino seruandum est præceptum, quia seruari potest, sed vbi non concurrunt illa duo, nulla est necessitas, quia si est copia confessoris, potest præmitti confessio; si autem non est copia confessoris, & nulla est necessitas communicandi, poterit omitti communicatio, ne aliter, quam præcepta est, fiat: ergo, vt possit licite communicatio fieri sine confessione, primum omnium necessarium est, vt sit aliqua necessitas communicandi, & deinde vt ex defectu confessoris non possit præmitti confessio. Dices, possunt alia causa occurrere ex parte penitentis, ob quas non possit confiteri, vt verbi gratia, si loqui non possit, vel non in eo idiomate, quo possit intelligi. Respondetur, omnes has comprehendit Doctores, sub inopia confessoris, quia qui non potest loqui, ita vt possit intelligi, ex parte sua confiteri potest, deest tamen illi confessor, qui illum intelligat, supponit enim, confesorem nulla signa posse percipere; vnde nunquam penitens ex parte sua confiteri non potest, nisi quia fortasse sensum & vsu rationis amisit, & tunc non est iudicandum secundum præsentem statum, sed iuxta præcedentem, in quo signa contritionis dare debuit, vt postea possit communicare, & tunc censetur habuisse inopiam confessoris. Itaq; omnis huiusmodi impotentia consistendi ad hanc inopiam confessoris reuocatur. Ex his ergo duo alia declaranda supersunt, primum, quando dicendus sit aliquis carere copia confessoris; secundum, quæ necessitas sufficiat ad communicandum tunc sine confessione.

Circa primum ab authoribus varij casus recensentur, quos breuiter attingere necesse est. Primus est, si quis habeat præsentem sacerdotem, cui potest quidem integre & legitime confiteri, de propinquo vero alium expectat, cui solet deuotius confiteri. Hanc causam sufficientem existimant ad differendam confessionem, etiam si communicare, vel sacrum facere necesse sit. Richardus in 4. distinctione Franc. Suarez. Tom. 3.

ne 17. articulo 3. questione 6. & inclinatur Syluester Eucharistia 3. questione 14. & Armilla verbo, Communio, in fine, & aliqui Summistæ, & specialiter Summa Rosell. dicens, posse religiosum, quamuis confiteri valeat sacerdoti laico, differre confessionem & facere sacrum, vt more suo intra religionem confiteatur, & vt aliquam suæ religionis infamiam excuset. Sed hæc doctrina, præsertim vt à Richardo est tradita, nec secuta, nec præctice probabilis mihi videtur præcipue post Concilium Tridentinum, & ita sentiunt posteriores authores, Soto, Cano, Couar. Cord. & prius docuerat Syluest. confess. 1. §. 2. & probatur, quia non potest vere dici in eo casu deesse copiam confessoris, cum præsto sit aliquis sufficiens, absq; morali incommodo graui. Itè ille sufficeret vt teneretur aliquis ei confiteri ad seruandum præceptum annuæ confessionis, si ali' intra debitum tempus non expectaretur: cur ergo non erit sufficiens, vt teneatur quis hoc præceptum diuinum seruare? Preterea, quia si huiusmodi peccator vult confiteri alteri Sacerdoti, cui cum maiori fructu & deuotione confiteri solet, poterit hoc postea facere sit velit, & præsentem confessionem non omittere, sicut si quis speraret, se maiori fructu & deuotione communicaturum in Pentecoste, quam in Paschate, non propterea posset differre, sed deberet tempore præscripto præceptum implere, & postea si vellet, posset iterum communicare, vt ea maiori deuotione fruatur. Neque quoad hanc doctrinam differentiam inuenio inter religiosum & laicum, quia & vtrumq; æque obligat diuinum præceptum, & laicus Sacerdos potest esse sufficiens minister ad confessionem religioni audiendam sine vllò morali incommodo, vel religiosi, vel religionis per se loquendo. Tum quia personalis lapsus religiosi, per se non est infamia religionis: quod autè sit aliquid infamia ipsius religiosi, non refert, quia est intrinsece annexa confessioni: tum etiam, vbi est seruandum confessionis sigillum, moraliter non existimatur infamia grauis, quando excusari potest; sola autem verecundia, vel difficultas, quæ sentiri tunc potest, non excusat.

Secundus casus assignari solet, quando est absens proprius Sacerdos, & necesse est alieno confiteri, tunc enim, cum id non possit facere penitens, nisi ex priuilegio, non videtur obligare ad vtendum illo, sed possessus commune seruare, quo præcisè considerato ac seruato, talis homo non habet copiam confessoris. Hęc sententia etiam est falsa, vt rectè Corduba notauit, quia tunc absolute & sine incommodo potest præceptum diuinum impleri: Cur ergo non est seruandum? aut quid refert, quod confessor, qui ad est, sit ordinarius, vel extraordinarius, si reuera iurisdictionem habet? diuinum n. ius non requirit hunc vel illum ministrum, sed solum illum, cui homo rectè & rite confiteri possit. Præterea fundamentum, quod in eo casu supponit, scil. non teneri aliquem ad implendum præceptum vtendo priuilegio, ita vniuersè & indistinctè sumptum falsum est, vt patet: nam teneretur quis in die festo audire Missam in loco interdicto, si priuilegium habet. Et similiter, q. haberet priuilegium consecrandi in fermentato, si non haberet azymum, teneretur eo priuilegio vt, vel in die festo, ne omnino sacrum omitteret, si non possit aliter audire illud, vt communicaret in Paschate, aut in mortis periculo. Ac deniq; in præsentem casu, qui non possit aliter implere præceptum annuæ confessionis, nisi vtendo facultate, quam haberet eligendo confessorum, teneretur ea vt, quia posset commode implere præceptum, & hoc non est grauius, aut onus, si rectè ratione censetur, sed commodum & vtilitas magna. Itaque, quando ex priuilegio resultat, vt aliquis habeat materiam seu potestatem moralem, & facilitatem ad præceptum implendum; tunc præceptum obligat, quia solum requirit potestatem, vnde cumq; illa orta sit, sicut obligatur homo ad dandam elec-

Syluest.  
Armil.

Soto.  
Nauar.  
Cano.  
Cord.

mosynam, si diuitias habet, siue dono, siue alio titulo vel privilegio illas comparavit.

Tertius, magisque receptus casus est, quando peccator timet eum sacerdotem, qui solus adest qui possit confessionem audire, non obseruatum sigillū, aut aliam grauem iniuriam sibi illaturum audita confessione, quia tunc illa est causa sufficiens ad tacendū peccatum in confessione, salua eius integritate formalit, vt suo loco dicitur: ergo in presenti etiam erit sufficiens causa ad excusandum à confessione. Ita Syluester verbo, Confessio 1. §. 2. & alij communiter. Et est vera sententia, si recte explicetur. Dupliciter enim hoc accidere potest: Primo, vt homo tātum habeat illud peccatum mortale, & ex cuius confessione timet illud graue detrimentum, & tunc sine dubio potest confessionem omittēre, quia non habet moraliter loquendo, copiam confessoris. Solum est in praxi obseruandum, vt reuera tale periculum intercedat & non sit confictum; Nam cum homo ex se sit propensus ad tacendum huiusmodi peccata propter difficultatem facile fingit hæc pericula, vbi non sunt. Secundo fieri potest, vt homo habeat aliqua peccata mortalia, ex quorum confessione nullum timet detrimentum, simul cum alio, in quo solo est periculū, & tunc prius quam communicet, tenetur confessionem facere omnium peccatorum mortalium, illud solum tacendo, quod sine illo incommodo graui confiteri non potest. Ita sentit Maior, in 4. distinction. 17. quæst. 5. & Nauar. in Sum. cap. 7. num. 5. Et ratio est, quia ex vi huius præcepti tenetur quis confiteri omnia peccata mortalia, antequam Eucharistiam accipiat: ergo quamuis non possit omnia, tenetur ea confiteri, quæ potest, maxime cum possit integram confessionem formalem tunc facere. Dices ergo, cum quis habet vnum solum peccatum mortale, ex cuius confessione timet periculum, tenebitur confiteri de venialibus, vt indirecte saltē absoluat de illo mortali, & fiat ex attrito contritus, si necesse sit, & ita securus accedat: Nam etiam tunc potest in illo modo facere confessionem formalem integram. Respondetur, posse quidem, si velit, & alia necessaria concurrant, de quibus suo loco dicemus, non tamen teneri ex vi præcepti, de quo agimus, quia illa solum obligatur homo ad confessionem omnium peccatorum mortalium præmittendam: vnde, cum tunc non possit confiteri peccatum mortale, nõ obligatur, quia vt diximus, non tenetur homo ad hanc confessionem, vt sit certior de dispositione sua, sed præcisē, vt peccata sua subiiciat clauibus Ecclesiæ, & eorum absolutionem directe recipiat. Dixi autē, ex vi huius præcepti: quia si accideret, huiusmodi peccatorem non existimare, se esse contritum, sed tātum attritum, teneretur non communicare, nisi vel ad probabilem existimationem suæ contritionis perueniret vel prius sacramentum confessionis, eo modo quo posset, acciperet, vt per illud iustificaretur. Ea tamē obligatio tunc non oriretur ex hoc præcepto, sed ex naturali ac diuina lege, sanctē tractandi, quæ sancta sunt, vt sequenti scēt. latius explicabimus.

Quartus casus est præcedenti similis, quando scilicet homo habet peccatum reseruatū superiori, & non potest illum adire, nec facultatem petere, quia tunc necessitate urgente, potest communicare sine confessione: ita tenet Summa Armill. verbo, Communio, §. 18. citans Adrianum, & Paludanum, & significat Soto hic, & Victoria in Sum. num. 79. Videtur tamen eadem limitatio adhibenda, quæ in præcedenti casu posita est, scilicet, vt procedat, quando penitens non habet aliud peccatum mortale, nisi reseruatū: nam si aliud habeat, ratione illius videtur teneri ad confessionem præmittendam, cum onere & proposito comparandi postea coram superiori, quoad casum reseruatū, eo modo, quo explicabimus infra, de confessione tractantes. Et ita sen-

tit Soto in 4. d. 17. q. 2. artic. 5. Verum est tamen, non esse omnino eandem rationem de hoc casu, & de præcedenti, nam in illo, cum homo taceat peccatum, quod sine incommodo confiteri non potest, siue vilo grauamine potest reliqua peccata confiteri. At vero in presenti, si confiteretur peccatum non reseruatū, tenetur iuxta communem doctrinam, simul confiteri reseruatū, etiam si tantum indirecte possit de illo absolui: & postea tenetur iterum idem peccatum superiori confiteri: vnde, si tenetur confessionem præmittere, con sequenter obligatur ad confitendum bis idem peccatum mortale: quod est onus graue, ergo propter hoc vnum vitandum, excusari tunc poterit à præmittenda confessione. Atq; eadem difficultas est, si quis habeat solum casum reseruatū, & facultatem, vt possit illum inferiori Sacerdoti confiteri, & ab eo absolui cum onere & obligatione comparandi coram superiori: an tunc teneatur vt illa facultate, si necessitas communicandi occurrat. Videtur enim non teneri cum tanto onere, vt explicatum est. Propter quam rationem prior sententia simpliciter & sine illa limitatione intellecta non videtur improbabilis: nihilominus posterior securior est, & omnino consulenda, & in rigore videtur probabilior: quia illud grauamē fere nullius momenti est, vt excusare sufficiat ab obligatione huius diuini præcepti. Item, quia propter illam causam non excusaretur aliquis ab obligatione implendi præceptum de annua confessione, quando casum reseruatū habet, & nõ potest superiorem adire, potest autem confiteri inferiori, & ab illo absolui, cum onere comparandi. Item, alias posset quis eo prætextu multis annis non confiteri, & sæpius communicare sine confessione, quia habet casum reseruatū, à quo nõ potest directe & simpliciter absolui ab inferiori, sine onere comparandi coram superiori, quem toto illo tempore adire non potest: consequens autem est factis absurdum, ergo.

Ex his igitur, & similibus casibus, qui excogitari possunt, colligitur moralis ac generalis regula, quæ in hoc puncto assignari potest: scilicet, tunc tenendum esse, aliquem non habere copiam confessoris, quando non adest Sacerdos habens iurisdictionem super peccata mortalia, vel super aliquod ex his, quorum conscientiam habet is, qui communicaturus est, vel certe, quando est Sacerdos adit, tamen homo non potest illi confiteri sine graui damno, & periculo: regula patet ex dictis. Statim vero inquiret aliquis, quantum, & quale debeat esse hoc damnum vel periculum, sed de hoc dicemus late infra, agentes de integritate confessionis, quanquam vix possit aliud dici, quam moraliter, & prudenter esse p̄sandum. Atq; idem respondendum est, si quis interroget, quam debeat distare confessor, vt dicatur non esse præsens: potest enim per leucam, aut magis vel minus distare, & non potest eadem regula pro omnibus tradi, nam vnus facile conficit iter vnus leuæ, alter magna difficultate. Item, vnus potest ire sine nota, vel scandalo, alter minime. Rursum, idem potest ire semel, vel iterum, non tamen sæpius & frequenter, cum tamen frequenter peccare cōtingat, sunt igitur omnia prudenter consideranda, & iuxta diuersitatem locorum, ac personarum, iudicium ferendum est. Et hæc de priori parte.

Circa posteriorem, quanta esse debeat necessitas communicandi, in generali est certum, debere esse grauem; quia res satis grauis est, præmittere executionem cuiusdam præcepti diuini, & in materia tā graui. Vnde licere nõ potest sine graui causa. In particulari vero difficile est iudicare, quando necessitas sit grauis, pendet enim multum ex circumstantiis, & ideo pendet ex prudenti arbitrio: vtile tamē erit singulares aliquas causas proponere, ex quibus facilius possit in similibus ferri iudicium.

Causa ali-  
quos excu-  
santur tam  
qui in seip-  
so sacra-  
mentum a pra-  
mittenda es-  
senti-  
prima  
secunda.

Prima ergo & indubitata necessitas est, periculum mortis eius, qui communicaturus est, vt si ipse sit Sacerdos, vel certe, si sit laicus, & hostia sit consecrata, & nō adfit Sacerdos, sed solus Diaconus, qui ministrat. Ratio est clara, quia haec est necessitas, & magna, & maxime propria. Secunda non dissimilis est: necessitas alterius in periculo mortis existentis, vt si oporteat facere sacrum ad consecrandum, & communicandum illum, quod merito, est ab omnibus receptū quia necessitas alterius grauis est, & spiritalis, & propter vnionem & obligationem charitatis, vt propria reputanda est.

Tertia.

Tertia ab omnibus etiam recepta est, si non possit quis communionem omittere sine graui infamia, quae moraliter graue damnum exitimatur, & non est verisimile, praecipuum positum cum tāto rigore ac detrimento obligare. Teneatur autem vnusquisque animaduertere, an possit alia via infamiam vitare, probabilem aliam excusationem cauendo, nā quando id fieri potest, cessat causa & necessitas communicandi.

Quarta.

Quarta etiam communis est, si sequatur scandalum, missam vel communionem omitendo, quia scandalum ex obligatione charitatis vitandum est, assert enim magnum & spirituale nocuum est, autem obseruandum, aliud esse scandalum, aliud vero populi quandam admirationem; haec enim posterior (quicquid aliqui Summissa dicant) non est sufficiens causa ad communicandum sine confessione, ne alij admirentur, videntes eum confutum communionem omittere, sola enim admiratio non affert haec in parte aliquid nocuum, neque est res magni momenti; nisi simul cum illa vel scandalum, vel infamia coniuncta sit, quod tamen, moraliter loquendo, saepe accidere solet. Ex hac n. admiratione solet vulgus, & leues homines, occasionem facile sumere, aut iudicandi de aliquo temere, aut de eo murmurandi, & consequenter infamandi proximum; quando ergo huiusmodi periculum merito timeretur, est causa iusta & sufficiens. Ita Corduba, qui alios refert in Summa Hispana. q. 142.

Quinta.

Quinta, & grauis causa est, necessitas absoluendi inchoatum sacrificium, vt si quis, incepta iam missa, recordetur, se commississe peccatum mortale, & non esse confessum, vel certe, si (quod humanum est) in ipsomet actu sacrificij illud committat, vel interiori odio, vel prauo consensu, aut dubitatione circa fidem. Et quidem, si haec memoria vel necessitas post consecrationem superueniat, sine contouersia, & limitatione dicendum est, progrediendum esse ad communionem sine confessione, cum sola interiori poenitentia, propter integritatem & perfectionem sacrificij, quae res grauisima est, & maxime necessaria. Quinimo, licet facile, & sine vilo scandalo, possit Sacerdotem ad altare vocare, & confiteri, nec teneatur, nec debet id facere, quia non decet, sacrificium iam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi forte tanta esset necessitas, vt non speraret, posse se ad contritionem sine confessione peruenire, tunc enim ex duobus incommodis minus esset eligendum.

Dubium.

Notatio.

Difficultas vero est, si haec memoria vel necessitas post inchoatam quidem missam, ante consecrationem tamen, eueniat, nam in hoc auctores varij sunt. Breuiter tamen dicendum videtur: in primis, si Sacerdos recordetur in altari, antequam missam inchoet, debere confessionem praemittere, etiam si oporteat exui vestibus sacris, vt Sacerdotem adeat. Ita sentit Scotus in 4. distinctione 9. quaestione 1. & alij, quos refert. Et ratio est, quia cum sacra actio non sit inchoata, nulla est rationabilis causa communicandi sine confessione, ex vi huius causae seu capitis, nam si aliunde futurum sit scandalum, vel infamia, iam erit alia necessitatis ratio, quod in omnibus se-

quentibus obseruandum est, ne id semper admodum opus sit. At vero, si memoria peccati vel necessitas occurrat, iam inchoata missa, & facile, & sine incommodo possit ad altare vocari confessor, faciendum est, & praemittenda confessio. Ita Bonauentura in 4. dist. 13. & in expositione litterae circa principium. Syluester verbo, Eucharistia, 2. quaest. 6. Et ratio est, quia illa prior pars missae est extrinseca sacrificio, & ideo sine indecentia interrumpi potest, ex causa rationabili, sicut fieri solet per concionem, aut populi orationem. Si autem non potest ad altare vocari confessor, non tenetur Sacerdos inde discedere, & missam inchoatam relinquere: ita sentit Bonauentura supra dicta distinct. 13. & Soto ibi, quaest. 1. art. 6. Victor, in Summa, num. 79. Nauarr. cap. 21. num. 49. Clarius cap. 25. n. 7. 6. & est aperta doctrina D. Thom. infra quaest. 83. art. 6. ad 2. vbi, cum tres casus enumerasset, scilicet, quando Sacerdos ante consecrationem recordatur, se esse excommunicatum, vel non esse ieiunium, vel non esse confessum peccatum mortale, dicit tutius esse, inceptam missam relinquere, si sine scandalo potest, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, vbi cum dicit tutius, sentit hoc non esse praecipuum, sed consilium; cū vero addit, maxime in duobus primis casibus, sentit in tertio, de quo nunc agimus, esse magis liberum, seu aequitutum, missam absoluere: quamuis etiam sit liberum missam relinquere, si sine scandalo possit. Ratio vero vtriusque partis est, quia cum illa prior pars non sit de substantia sacrificij, non est per se malum illam inchoatam relinquere sine sacrificio, praeferrim ex aliqua honesta causa. Aliunde vero, quia illa simul fit cum sacrificio ex institutione Ecclesiae per modum vnus actionis sacrae, ideo in dicto casu potest absolui, postquam semel est inchoata.

Sexta causa quodammodo praecedenti similis assignari solet, quando aliquis recordatur peccati mortalis non confessi, postquam iam est altari ad motus ad communicandum, quia iam tunc est quodammodo inchoata actio facta communicandi, & ideo non decet recedere donec perficiatur, sicut esset indecens, postquam aliquis sedet ad mensam Principis, discedere ante conuiuium peractum, ita Victoria supra. Sed si intelligatur, hanc causam per se sumptam esse sufficientem, seclusa omni ratione scandali vel infamiae, est difficilis doctrina, & quae licentiam nimis amplam praebere videtur: quia illa indecentia moraliter nulla est, vel est tam parui momenti, vt propter grauiorem causam contemnenda videatur, nam multo maior est irreuerentia, adesse conuiuio sine digna praeparatione. Et ideo alij auctores semper adiungunt, hoc licere, quando homo non potest retrocedere sine aliquo scandalo vel nota, vt videre licet in Corduba supra, & Armilla verbo, Communicatio, numero 28. & in Rosella, §. 26. Et hoc quidem securius est quando reuera nulla est incommoditas, & homo potest facile communionem differre. Nihilominus tamen moraliter & praeterea loquendo, quando communicatio fit publice, & coram aliis, sine scrupulo fieri potest, Victoria docet, praefertim si iam Sacerdos incipit actionem sacram, vt si ad hunc finem communicandi alium, consecrauit formulam, vel pyxidem e suo loco duxit, nam tunc aliqua est indecentia, & moraliter nunquam deest aliqua nota, vel obmurmuratio. Non est autem consulendum, vt in eo casu is, qui communicare vult, confiteatur Sacerdoti ministranti sacramentum, quia neque locus est apertus ad hoc munus, & minus decet, & aliunde maiorem admirationem aliis ingerit.

Sed huius occasione quaeri potest, si quis ante communionem confessionem praemittit, formaliter integram eorum omnium, quae memoriae occurre-

runt, postea vero recordetur alicuius peccati non confessi, an per se loquendo teneatur illud confiteri, priusquam communicet, vel satis sit propositum confitendi illud suo tempore. Videtur enim hoc sufficere, quia ille iam implevit præceptum præmittendi confessionem ante communionem; ergo ex vi huius præcepti iam tunc ad nihil amplius tenetur. Aliunde vero peccatum illud iam est remissum per absolutionem Sacerdotis, saltem indirectam, ergo neque propter dignam dispositionem necessarium est, statim præmittere confessionem. Nihilominus dicendum est, ex vi huius præcepti teneri hominem in eo casu ad confitendum illud peccatum mortale, priusquam communicet, per se loquendo, & seclusis circumstantiis, quæ excusare possint. Ita sentiunt, vel supponant veteris, auctores omnes supra citati. Et ratio est, quia hoc præceptum, de quo agimus, non tantum obligat ad confitendum ante communionem, sed simpliciter ad confitendum omnia mortalia peccata, & ad subiiciendum ea clauibus Ecclesiæ, priusquam ad communionem accedatur. Eadem enim Ecclesiæ consuetudo, quæ hoc præceptum declarat, hunc esse illius sensum explicauit, & omnia quæ supra adduximus ad hoc præceptum probandum, hoc confirmant. In prædicto autem casu, licet ille homo sacramentum confessionis suscepit, tamen absolute non subiicit omnia peccata sua clauibus Ecclesiæ, quod vero illud peccatum fuerit indirecte ablatum per absolutionem, non magis refert, quam si per solam contritionem esset remissum, quia non magis est latum de illo iudicium in sacramentali foro poenitentiae.

*Vltima causa.*

Vltima causa, seu ratio necessitatis est, quando Sacerdos tenetur ex officio facere sacrum, vt frequenter accidit in parochis plebolicis, & hanc necessitatem maxime indicauit Concilium Tridentinum. Ad id vero Soto, eam satis esse, vt possit hoc bis aut ter fieri, non vero sæpius. Quod frequenter fortasse ita est, non tam ex parte ipsius necessitatis, quam ex parte absentia confessionis, quæ moraliter censetur sufficiens pro vno vel alio die, non autem pro pluribus, nam in tanto tempore poterit conueniri confessor, etiam si aliquantulum dilat. Nihilominus tamen moralis illa regula non potest esse generalis: quia fieri potest, vt inopia confessoris pluribus diebus duret, & hoc est per se in hac necessitate considerandum: quia si vere non est copia confessoris per multos dies omnibus illis potest fieri sacrum sine confessione præmissa propter dictam causam. Merito autem aduertunt Doctores, huiusmodi Parochos versari in magno periculo; & ideo si frequentius illis accidat hæc necessitas, debent etiam cum maiori labore, & dispendio confessorem querere.

*Dubium.*

Sed quaeret aliquis, quando Sacerdos non tenetur ex officio facere sacrum, vt alii audiant, tamen non est alius, à quo audire possint, an sit hæc sufficiens ratio ad dicendum sacrum sine confessione præmissa, ne alii sacrum omittant in die festo? videtur enim hæc sufficiens causa, scilicet, propter vitandum proximi peccatum. Sed contrarium videtur verius, per se loquendo: seu quantum ex vi huius causæ, quia reuera id non est tunc necessarium ad peccatum proximi vitandum, nam etiam si huiusmodi Sacerdos tunc non faciat sacrum, alij non peccabunt, non audiendo, quia nullus est, à quo possint audire, ergo cum alias Sacerdos non habeat obligationem, nulla est ratio sufficiens, quæ illum cogat ad faciendum sacrum sine confessione, sola autem utilitas vel consolatio aliorum non videtur causa sufficiens: alioqui multo magis in liceret propter solum proprium fructum, vel consolationem. Atque ex hac ratione colligitur, eam licentiam, quæ Parochis datur in hoc negotio, intelligendam esse solum pro illis diebus, in quibus ex officio tenentur ad sacrum faciendum, siue sint

dies festi, siue non, nam in vtriusque potest Parochus teneri ad sacrum faciendum, quin vero non tenetur in omnibus & singulis diebus ferialibus, ideo, quando obligatio non vrget, & commode excusari potest, debet non facere sacrum abique præmissa confessione. Dixi autem, per se, & præcisè ex hac causa, nam si adiungatur scandalum, vel infamia, vt facile potest moraliter contingere, iudicandum est iuxta superius dicta.

Maior difficultas est, quando obligatio audiendi sacrum cadit in ipsum Sacerdotem, an propter implendam illam possit sacrum facere, ac si similis quaestio est, si occurrat obligatio communicandi, in Paschate, & sit commoditas communicandi, non autem confitendi. Hanc necessitatem sufficere exitum Paludan. in 4. disti. 9. quaest. 4. concl. 10. & Syluester supra. Ratio esse potest, quia tunc potest homo commode implere Ecclesiasticum præceptum, quod per se tunc obligat, & alioqui non sit contra diuinum præceptum, propter impotentiam exequendi illud. Alii vero sentiunt, illam causam per se solam non sufficere, nisi infamia vel scandalum adiungatur, Anton. 3. part. titul. 13. capit. 6. §. 7. Soto, & Corduba supra, & Archidiaconus, quem Syluester citat, & ratio est, quia tunc Ecclesiasticum præceptum non potest impleri conuenienti modo: ergo excusatur homo ab obligatione seu transgressione illius: ergo cessante obligatione alterius præcepti, nulla superest sufficiens causa communicandi. Et hæc posterior sententia mihi simpliciter magis probatur, quia lex Ecclesiastica, quæ præcipit communionem, non intendit obligare, nisi quando debito modo seruari potest, & præsertim requirit seu postulat ordinem & præparationem per confessionem, vt colligitur ex capitulo, Omnis vtriusque sexus, de poenitentia & remissis. Et idem facilius credi potest de præcepto audiendi sacrum: quod per se non obligat ad sacrum faciendum, quamuis autem obligare possit eum, qui aliter audire non potest, tamen non cum tanto rigore, vt propter hanc causam sit sacrum faciendum, etiam sine confessione præmissa, nam hoc præceptum non est adeo graue, & propter leuius causas cessare solet eius obligatio. Et hæc pars est sine dubio securior & regulariter consulenda, quia minus habet periculi & spiritualis incommodi. Nihilominus prior est etiam probabilis, & potest quis in praxi illam sequi, si velit, & præsertim, si multo tempore communionem, vel missæ sacrificio ob eandem causam priuandus sit.

Alii casus adiungi solent à quibusdam summissis, vt videre licet in Syluest. Armilla, Tabiena, Rosella, & aliis, qui non tam sunt necessitatis, quam commoditatis, vt, verbi gratia, si quis habeat consuetudinem frequenter communicandi, & necesse sit illam interrompere: vel si ita se sentiat dispositum, & ad communem affectum, vt probabiliter speret magni fructum se consecuturum ex communionem, vel si occurrat dies solemnissimus, vt dies natalis Domini, vel si necesse sit, sacrum facere pro anima purgatorij, quæ suffragiis indigere probabiliter existimatur. Sed hi casus & alij similes mihi non videntur sufficere causam continere, nam cum Tridentinum dicat necessitate urgente non sola commoditas spectanda est sed vera necessitas.

#### SECTIO V.

*Verum, quando non pramittitur confessio mortali peccati, sit necessaria contritio.*

Ratio dubitandi est, quia eo casu, quo quis confiteri non potest, sufficit ad effectum sacramenti huius, vt attritionem habeat, vt in superioribus dictum est, ergo non est necesse, vt habeat contritionem. Patet consequentia, primo, quia seclusa speciali lege positua, ad suscipiendum digne sacramentum, satis est

facit est recipere illud sine obice, atque adeo cum dispositione sufficiente ad effectum sacramenti. Secundo, quia si homo est attritus, per sacramentum sanctificabitur; ergo in ipsa communione erit sanctus: ergo sancte sumet: ergo ad nihil aliud tenetur. Tertio, quia si maiorem obligationem habet, inquiri quo iure? Non enim naturali: quia hoc tantum obligat ad digne & sancte tractandum, quae sancta sunt, hoc autem praestat ille homo: ut declaratum est. Non positivo diuino, vel Ecclesiastico iure: quia hoc tantum inuenitur de praemittenda confessione, in quo non continetur obligatio specialis praemittendi contritionem, quando non est locus confessioni: Sicut, qui tenetur confiteri in Quadragesima, si non possit, non propterea tenetur confiteri, nisi alia occurrat causa, quae obliget. Et ratio in praesenti adungi potest, nam licet confessio praecipitur ante communionem, ut homo accedat ad hoc sacramentum iam iustificatus, tamen hic est finis non materia praeccepti: ergo, cum in praesenti non possit fieri confessio, quae est materia praeccepti huius, ex vi illius non obligatur homo, ut per contritionem prius iustificetur: quam ad hoc sacramentum accedat: ergo nullo iure obligatur. Quarto possumus ab incommotis argumentari: quia saepe Sacerdos (qui ex officio tenetur sacramentum facere, cum confiteri non potest) vel esset perplexus, vel ad rem difficillimam cogere: nempe ad habendam veram contritionem, quod aliquibus difficillimum est, vel propter consuetudinem peccandi, vel propter speciales occasionem: ut sunt, inueteratum odium, immoderata quaedam affectio. Quae difficultas multo erit maior, si fingamus, necessitate repente occurrere, & statim esse communicandum: ut si in ipsomet sacro facta iam consecratione, animaduertat Sacerdos statum suum.

De hac quaest. nulla fere controuersia inuenitur inter scriptores, non defuerunt tamen Theologi recitantes, qui auli fuerint docere, sufficere in eo casu attritionem, etiam si cognita sit: quia existimatio contritionis per se nihil confert, vel ad effectum sacramenti, vel ad dignam dispositionem, sed solum potest excusare a peccato, seu transgressione praeccepti, de habenda contritione, si illud esset impositum: hic autem nullum inuenitur tale praecceptum, & ideo non est necessaria illa existimatio contritionis, ut digne accedat is, qui attritionem habet. Ad quam sententiam fundandam addunt, praeter rationes factas, sacramentum hoc per se institutum esse ad danda gratiam primam, & consequenter ad remittendum mortale peccatum, tamen cum quodam ordine ad confessionem, quae (si fieri potest) antecedere debet: quando ergo id fieri non potest, imitari potest hoc sacramentum cetera, quae per se instituta sunt ad dandum gratiam primam: sicut ergo illa digne recipiuntur cum attritione cognita, ita & hoc sacramentum in praedicto casu.

Dicendum vero est, eum, qui habet conscientiam peccati mortalis, & confiteri non potest, teneri ad habendam prius contritionem, quam ad hoc sacramentum accedat. Atque adeo nunquam digne accedat, nisi probabiliter & inculpabiliter existimet sibi esse peccatum per contritionem remissum. Haec assertio tam certa est, ut contraria nec probabilis sit, nec sine temeritate defendi posse videatur. Primum enim in hac veritate consentiunt omnes Theologi section. 3. & 4. citati, nemine discrepante, nam Catechismus & qui cum eo negant necessitatem confessionis, ut certam supponunt necessitatem contritionis, & quia haec factus est, ut homo constituitur in gratia, colligunt, confessionem non esse necessariam. Eodem modo opinantur, qui praecceptum confessionis praemittendae admittunt, Ecclesiasticum tamen, non diuinum: ut videre licet in Medina & Cord. de confess. quaest. 17. Alij vero, qui praecceptum diuinum

confessionis agnoscunt, a fortiori docent, esse necessarium accedere sine conscientia peccati mortalis, quod aperte docet D. Thomas in his articulis. Qui autem solam attritionem habet cognitam, cum conscientia peccati mortalis accedit, quia conscientia non dicit affectum, sed scientiam talis status: ille autem, qui sic est dispositus, scit se adhuc esse in peccato mortali. Idem expresse docent, Soto & Cano, locis citatis, & Hofius in confessione, cap. 43. & multi alij, quos refert Cordub. lib. 1. quaestionum Theologic. quaest. 7.

Tecundo, Patres antiqui eodem modo loquuntur, ut constat ex his, quos in prima sectione huius dissertationis retuli: & praeterea videtur Basilium, lib. 2. de Baptismo. cap. 3. ubi argumentum sumens ex praecceptis veteris legis, in quibus exterminatur de populo, qui immundi accedunt ad legalia, inquit, Quid dicendum de eo, qui in tantum, ac tam virale mysterium temerarius est? & post multa concludit. Quanto magis, qui cum in peccato sit, corpus Domini contingere audeat, grauius sibi accersit iudicium? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento. August. serm. 252. de tempore: Vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vituperatum esse cognouerit, prius studeat eam emundare, alias potius se debet excommunicare & ab altari remouere, quam aliter accedere: & adducit illud Matthaei 5. Vade & prius reconciliare fratri tuo, & illud Matthaei 22. Amice, quo modo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Paschas. lib. de hoc sacramento c. 22. tractas ad hoc propositum figuram de agno Pascha. post multa concludit. Patet igitur, quod nisi desiderio coelestis patriae, ad superna ubi Christus est in dextera Patris, fide plenissima, spe certa, & charitate non ficta, festinus transcat de carnis agni iure non comedit, quia legem in hoc violat. Eandem doctrinam tradit optime Algerus lib. 1. de hoc sacramento, c. 26. 21. & 22. & Calsia. collat. 22. c. 5.

Tertio plurimum fauet huic sententiae Concilium Trident. sessio. 13. c. 7. primum in illis verbis. Si non decet ad sacras functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas & diuinitas coelestis huius sacramenti viro Christiano comperita est, eo diligentius cauere ille debet ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat: Ex quibus verbis duplex argumentum confici potest, primum, quod vel ad nullum sacramentum digne suscipiendum necessaria sit contritio, sed sufficiat semper attritio cogitata, quod est absurdissimum, & inauditum in Theologia: vel si ad aliquod necessaria est, maxime ad istud quod est sanctius reliquis, ut Concilium argumentatur. Alterum est, quia peccator, qui sine confessione & sine contritione, accedit, simpliciter sine sanctitate accedit; at Concilium negat hoc licere: & ideo subdit sequentia verba: Praeterea, cum illa plena formidinis verba apud Apostolorum legamus. Qui manducet, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Praeterea fauent multum huic sententiae illa verba, quae inferius Concilium subdit. Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conficius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur absque sacramentali confessione ad sacramentum Eucharistiae accedere debeat. In quo dicendi modo aperte significat, ablata necessitate confessionis, contritione ex se veluti ex natura rei esse necessariam. Et hoc, quasi indubitatum ac certum apud omnes supponere videtur, & ideo addit, confessionem esse necessariam ex speciali praeccepto, quia de hoc poterat esse controuersia. Vnde, cum exceptionem subdit de casu necessitatis, aperte supponit, tunc saltem esse necessarium, quod prius dixerat, scilicet, ut, qui sic accedit, contritus sibi esse videatur.

Quarto argumentor ratione, quia si neque a Christo, neque ab Ecclesia, datum esset praecceptum posituum praemittendi confessionem ante communionem.

D. Thom.

Soto. Cano. Cordub.

Probatum auctoritate Basil.

August.

Paschas.

Algerus. Calsian.

Item auctoritate Conc. Trident.

Idem probatur ratione.

Si mortali peccati conscientiam habens nec contritionem prius necessarium sit, si Eucharistiam sumere velit. Catech.

Medin.

munionem, ex ipsa rei natura, seu ex naturali lege consequente institutionem tanti sacramenti, necessarium esset, praemittere contritionem: sed lex illa positiva confessionis non abstulit naturalem obligationem: & in eo casu, quo non potest praemitti confessio, reducitur res ad eum statum, in quo esset ex natura rei: ergo hinc ex diuino praeccepto naturali, tenetur peccator conteri, priusquam communicet. Dices, hoc argumento probatur, teneri hominem conteri ante communionem, etiam si confiteatur; quia lex positiva non abstulit naturalem: consequens autem est aperte falsum; nam, qui est attritus, & confessus, satis dignè accedit ad hoc sacramentum. Respondetur, non esse simile; quia, licet lex positiva non auferat naturalem, tamen efficacia sacramenti auferat necessitatem; vel, ut ita dicam, materiam necessariam contritionis; quae ideo ante communionem praemittenda erat, ut peccatum expelleret, quod facit sacramentum visum: & ideo dicitur facere hominem ex attrito contritum; & attritio coniuncta sacramento, aequiualeat contritioni, & ideo per illam impletur obligatio naturalis sancte accedendi ad hoc sacramentum non minus, quam per contritionem. Secus uero est, quando nullam intercedit sacramentum, quia tunc contritio est necessaria dispositio ad gratiam, & ad expellendum peccatum; & nullum aliud adhibetur medium, quod suppleat hunc effectum, & ideo semper manet eadem materia atque adeo eadem necessitas, & obligatio naturalis praeccepti.

Solum superest, ut ostendamus, hoc esse praecceptum diuini naturale. Quod probatur primo, quia considerata dignitate, & significatione huius sacramenti, ex vi illius oritur obligatio non sumendi illud, nisi in statu gratiae, & consequenter ad exhibendum aliquod medium, per quod in eo statu constituamur, priusquam ad Eucharistiam accedamus: ergo haec obligatio ex ipsa rei natura oritur. Antecedens satis est à nobis declaratum in Commen. art. 4. D. Thomae. Et confirmari potest inductione supra indicata in omnibus sacramentis uiuorum, quae per se requirunt statum gratiae, ut digne ad ea accedatur, in quo differunt à sacramentis, quae uocantur mortuorum, quae, cum per se sint instituta ad dandam primam gratiam, & expellendum peccatum, ex natura sua non praerequirunt vitam gratiae; sed solum dispositionem, sufficientem ad eam per sacramentum acquirendam. At uero sacramenta uiuorum, cum instituta non sint ad dandam primam gratiam, per se, & ex intentione, non possunt dignè recipi ad hunc effectum, & ideo ex natura rei praerequirunt gratiam, ut digne sumantur, tum, quia sancta debent sancte tractari, tum etiam, quia eorum proprii effectus statum gratiae praesupponunt, utraque uero causa maiorem vim habet in hoc sacramento, quia est sanctius reliquis, ut diximus, ponderando uerba Concilii Tridentini. & proprius eius effectus est per modum nutritionis & augmenti, & ideo per modum cibi & conuiuij tribuitur: cibus autem & nutritio ex se vitam praesupponunt. Secundo confirmatur, quia Sacerdos ministraturus hoc sacramentum, si conscientiam habeat peccati mortalis, tenetur conteri, priusquam ad ministrandum accedat, nec satis erit habere attritionem: ergo multo magis tenebitur hoc facere, qui communicaturus est: quia maius est recipere, quam ministrare sacramentum; & ideo iure diuino recipiens obligatur ad praemittendam confessionem, si potest, non tamen qui ministrat, si non sit ipse communicaturus. Responderi potest esse diuersam rationem, quia minister non fit ex attrito contritus, dando sacramentum, suscipiens uero fieri potest ex attrito contritus. Sed haec fuga petit principium: hoc enim ante omnia negamus, scilicet, eum, qui accedit cum sola attritione cognita, fieri ex attrito contritum, quia ponit obicem, & peccat mortali-

Obiectio.

Solutio.

Enasit.

Confutatur.

ter sic accedendo, quia per se, & ex certa scientia indigne accedit. Quinimo etiam de illo, qui bona fide accedit cum sola attritione, putans, se esse contritum, est ualde incertum, an per sacramentum iustificetur, & omnes Doctores, qui probabiliter hoc affirmant, requirunt illam bonam fidem, quia tale sacramentum nunquam est per se, & ex intentione recipiendum ad illum effectum. Ergo, sicut ad ministrandum sacramentum debet supponi gratia & contritio, ita ad recipiendum illud.

Ad fundamenta contrariae sententiae negatur, attritionem per se sufficere cum hoc sacramento, nisi intercedat bona fides, quae à peccato excuset, & ita expediuntur facile tria argumenta, quae ita procedunt, ac si diceremus hanc obligationem praemittendi contritionem in eo casu oriri ex praeccepto positivo praemittendi confessionem, quod tamen falsum est, quia non hinc oritur haec obligatio, sed ex ipso iure naturali; ut declarauimus. Nam, qui cum sola attritione recipit hoc sacramentum, non sancte, sed indigne recipit illud, qui accipit in prauo statu, & reuera manducat illud in peccato mortali: Nam prius manducat sacramentum: quam ab illo possit recipere effectum: in termino enim manducationis dandus esset effectus, & ideo si sciens & uidens hoc faciat, peccatum committet, per quod ponit obicem sacramento: qui uero accedit bona fide, excusatur ab hoc peccato, & ideo non ponit obicem & recipere potest effectum.

Ex hac uero responsione colligitur, quod si quis cum attritione cognita communicaret ex iniunctibili ignorantia, putans hoc sibi licere, & contrariam opinionem esse securam, illum etiam excusari à peccato propter ignorantiam, & ideo fieri posse, ut per sacramentum iustificaretur, ex quo colligitur, per se, & ex natura rei sufficere attritionem, ut dispositionem condignam. Aliud enim est, attritionem esse sufficientem dispositionem, ut possit tolli peccatum per sacramentum, si aliunde non ponatur nouum impedimentum: aliud uero, quod attritio per se sit sufficientis, & condigna dispositio ad tale sacramentum suscipiendum. Primum enim est probabilis, ut supra dictum est: secundum autem minime, quia ad dispositionem condignam sacramenti non solum est considerandum, quid satis sit absolute loquendo, ut possit tolli peccatum, sed multo magis, quid debeat dignitati talis sacramenti, & quid sit consentaneum huius institutioni eius, atque adeo quibus, per se loquendo, supponat gratia sacramentalis talis sacramenti.

Ad quartum respondetur, omnia illa incommoda nullius esse momenti, eadem enim obijci possunt in Parocho, qui ex officio tenetur ministrare sacramentum quando non potest, aut non uult conteri etiam si habeat conscientiam peccati mortalis: tenetur enim saltem conteri, nulla ergo est perplexitas in praedictis casibus, quia semper est fecultas cum diuina gratia ad habendam contritionem, & uincendam difficultatem, si qua occurrit, nam haec difficultas, quae oritur ex praua consuetudine, aut alia simili occasione, reuera est eadem in attritione uera, si res attente consideretur: Nam tota haec difficultas posita est in proposito absoluto & efficaci non peccandi de cetero; quod tam ad ueram attritionem, quam ad contritionem, necessarium est: Si autem illud propositum semel concipiatur, satillimum erit eleuari mentem ad quodcumque motuum perfectum, atque ita ex uera contritione peccatum detestari.

Ad illud uero, quod prior opinio subijciebat, hoc sacramentum esse per institutum ad dandam primam gratiam, & tollendum peccatum mortale, respondetur in primis, assumptum esse falsum, & parum uel nihil probabile, ut supra ostendi. Deinde, quia illud admittit, ne in maiorem errorem incidat, consequen-

sequenter dicere debet, hoc sacramentum non esse institutum ad illum effectum, ut propriam & particularem causam eius, sed solum ut cum aliis sacramentis, quae ad hoc sunt specialiter instituta aliquo modo concurrat, saltem ut in voto susceptum, & id eo nunquam debet per se, & ex intentione applicari ad illum effectum, nisi per sacramentum, vel cum Sacramento Penitentiae, aut in re ipsa applicatum, aut saltem in voto per contritionem.

SECTIO VI.

Verum, qui sine confessione praemissa communicat post conscientiam peccati mortalis, teneatur ex iure diuino statim confiteri, quam primum possit.

Mlti & graues auctores videntur sentire, in eo casu teneri hominem ad confitendum post communionem, cum primum commode possit. Ita sentit Glossa recepta à Canonistis in capitulo. De homine, extra, de celebr. missar. dicit enim, eum, qui ob inopiam confessoris accedit cum sola contritione, teneri ad habendum propositum confitendi, cum primum possit: non teneretur autem ad hoc propositum, nisi haberet obligationem confitendi, statim quia ad contritionem solum est necessarium propositum confitendi tempore debito. Atque eodem modo loquuntur ex recentioribus Soto, Couarr. & alii locis supracitatis, & apertius Scot. in 4. d. 9. q. vnica ad 2. dicit, in eo casu posse differri confessionem, donec occurrat opportunitas confitendi. Et ratio esse potest, quia praecipuum obligabat ad confitendum ante communionem: ergo cum hoc factum non fuerit, perseuerat illa obligatio, & veluti semper inquit, & vrget, donec impleatur. Et confirmatur: quia consuetudo fidelium ita videtur interpretari hoc praecipuum, omnes enim qui accedunt absque confessione praemissa, cum timore accedunt, & proponunt illico confiteri, cum primum potuerint.

Dupliciter accidere potest, ut quis communicet sine confessione: primo sine causa & excusatione, sed cum graui culpa. Secundo ob veram necessitatem & sine culpa. Dico ergo primo, qui indigne communicauit sine confessione, non teneretur postea hoc titulo statim confiteri, sed solum tempore, alias debito. Dico, hoc titulo, quia si iterum communicaturus, propter eam causam, vel aliam similem, poterit teneri, sed non de hoc agimus, sed praecise de obligatione relicta ratione praecedentis communionis. Et ita est euidentis assertio, primo exemplis, nam si Sacerdos ministrat sacramentum in peccato mortali, non teneretur postea hoc titulo statim conteri, quamuis debuisset prius conteri, quam ministraret sacramentum: & omitendo peccauerit, & in vniuersum, qui omisit actum, ad quem tenebatur in tali occasione vel opportunitate, licet tunc peccauerit omitendo, transacta illa occasione, non teneretur postea exercere actum. Et hinc sumenda est ratio à priori huius veritatis, quia, si hoc praecipuum consideretur ut affirmatiuum, non obligat pro semper, sed pro determinatis temporibus, extra quae non obligat, etiam si contingat pro aliquo tempore debito non impleri: nam praecipua affirmatiua non obligant per modum restitutionis ad faciendum actum tempore debito omissum: alias qui omisit sacrum in die festo, debet statim in die sequenti audire. Si autem hoc praecipuum consideretur, ut negatiuum, sic non obligat postea ad aliquem actum, sed solum ad non communicandum iterum sine praemia confessione: ergo, si non sit iterum communicaturus, ex vi praedicti praecipui diuini, non teneretur statim confiteri. Secundo hinc sequitur, idem dicendum esse de illo, qui bona conscientia & ob necessitatem, confessionem praetermisit ante communionem, scilicet, ex vi iuris diuini non teneri ad statim confitendum. Ita docuit

Naturus in Summa capitul. 2. numero 10. Et patet à fortiori ex praecedenti. Nam si is, qui peccando communicauit sine confessione praemissa, non teneretur statim confiteri, cur obligabatur is, qui sine peccato id fecit? Praeterea exemplis decisari potest, nam si quis obligatus fuit ad confessionem faciendam ratione periculi mortis, & id facere omisit ob inopiam confessoris, transacta occasione, non teneretur statim confiteri, postquam periculum euasit: idem est de illo qui omisit sacrum sine culpa, tempore debito, propter absentiam Sacerdotis, qui non teneretur postea audire, cum primum possit. Denique ratio generalis est, quia praecipua affirmatiua non obligant pro semper, sed pro certis temporibus & opportunitatibus, quibus transactis, cessat eorum obligatio, siue tunc impleta fuerint, siue non, cum culpa vel sine illa, hoc autem praecipuum, de quo agimus, est affirmatiuum, & solum praecipit confessionem, ut dispositionem ad communionem, seu ratione Eucharistiae sumendam, ideo transacta illa opportunitate seu necessitate, cessat obligatio: & idem reperitur in omni praecipuo, quod aliquid praecipit solum, ut dispositionem ad aliud: Nam cessante illo actu, ad quem ordinatur dispositio cessat ratio dispositionis, ut sic, & ita etiam cessat materia seu obiectum talis praecipui, & ideo nullius momenti est illa ratio, quod obligatio praecipui, quia non fuit impleta, semper maneat & vrgeat: Non est enim hoc necessarium, quando mutata est occasio, & consequenter pertransiit proprium tempus, pro quo obligat praecipuum.

Tertio hinc concluditur, ad communicandum digne sine praemissa confessione, confessoris inopia non esse necessarium speciale propositum confitendi statim nacta occasione: sed solum illud propositum confitendi, quod ad contritionem necessarium est. Ita sentit Diuus Thomas infra, quaestione. 83. artic. 6. ad 2. Vbi solum requirit propositum confitendi & satisfaciendi. Et ratio est clara ex dictis, quia ille non teneretur statim confiteri post communionem: ergo nec teneretur proponere id facere: ergo tale propositum neque est necessarium necessitate praecipui, neque sub aliqua ratione medij, quia ad habendam contritionem satis est propositum confitendi tempore debito. Neque ex usu fidelium aliud colligi potest: si vero aliqui Doctores aliter locuti sunt, exponendi sunt, docuisse id, quod est melius & securius, non vero quod est simpliciter necessarium ac sufficiens.

SECTIO VII.

Verum qui post conscientiam peccati mortalis communicat sine confessione, iure Ecclesiastico teneatur confiteri cum primum potest.

Haec dubitatio proponitur ad explicandum ius Quod si non fuerit conscientiam peccati mortalis non praemissa confessione communicauerit, quam primum confiteatur. Nam ex horum tenore verborum constat, in eis contineri praecipuum, & ita sunt ab omnibus Doct. intellecta. Rursus ex materia constat, esse rem grauem Ecclesiasticam, atque ita praecipuum hoc obligare sub mortali. De his ex dictis colligitur, hoc praecipuum esse Ecclesiasticum: ostendimus enim ex solo iure naturali, aut diuino non posse colligi huiusmodi obligationem: atque ex modo loquendi ipsius Concilij non obfcure idem colligitur, nam de priori generali praecipuo confitendi ante communionem dicit: Ecclesie consuetudinem illud declarasse, quod non affirmat de hoc praecipuo, sed solum illud statuit: est ergo praecipuum Ecclesiasticum, non antiquum, sed de nouo ab ipso Concilio latum, quia ante illud nec scriptum nec traditum, nec consuetudine introductum reperitur. Ex quo tandem fit, eos, qui obligantur hoc praecipuo, ita teneri in eo casu ad habendum propositum

Quoniam ad 1100.

Qui indigne communicauit sine confessione, non tenetur postea hoc titulo statim confiteri, sed solum tempore, alias debito.

Qui post conscientiam peccati mortalis non praemissa confessione communicauerit, quam primum confiteatur.

si tum confitendi, quam primum possint, sicut tenetur habere propositum seruandi alia praepcepta, quia hoc est vnu ex praepceptis, & non est maior ratio de illo, quam de aliis. Superius vero nonnulla circa hoc praepceptum declaranda.

*Dubium.*

Primum est, an hoc praepceptum obliget solos Sacerdotes, vel etiam laicos. Nauarr. cap. 2. num. 10. affirmat obligare omnes, quia si Concilium interrogaretur de laicis idem dixisset, cum sit eadem omnium ratio, quod ergo illis verbis positum sit nomen Sacerdotum, ex accidenti vel casu accidisse videtur, fortasse, quia haec necessitas frequentius in Sacerdotibus contingit. Dico tamen, hoc praepceptum non obligare laicos, sed solos Sacerdotes. Probat, quia in explicanda lege positiva standum est verbis: neque obligatio eius amplius est extendenda, quam verba legis in proprietate intellecta requirant. Dicere autem verba Concilii casu cecidisse seu irrepisse, praesertim in re tam graui, & in lege ferenda, absurdissimum est & temeritate non vacat: cum ergo Concilium nominet Sacerdotes, de illis est proprie ac praecise intelligendum. Quod autem Nauarr. dicit: Concilium interrogatum, fuisse responsum idem de laicis, primum nihil refert, nam, sicut non peccat quis in eis, quae esset facturus, si tentaretur, sed in ijs quae facit, ita non obligat superior per ea, quae praeciperet si mandueteret, vel si ei daretur occasio, sed per ea, quae praecipit. Deinde, illud est omnino incertum, quis enim hoc ei reuelauit? aut qua certa ratione id colligi potest? praesertim, cum argumentum à simili in materia praepceptorum inualidum sit. Addo, posse sufficientem rationem differentiae assignari; tum, quia ad celebrandum maior quaedam reuerentia ac praeparatio requiritur: tum etiam, quia eo ipso, quod haec necessitas frequentius accidit sacerdotibus, merito hac obligatione praeventiuntur, ne facile assuescant, confessionem praetermittere. Ex qua resolutione sequitur, Sacerdotem, qui communicat more laicorum, non obligari hac lege, tum quia ille non se gerit tunc ut Sacerdos, sed ut laicus, & ideo solum communibus legibus laicorum astringi videtur, tum etiam, quia ille tunc non celebrat, Concilium autem solum loquitur de Sacerdote celebrante. Sed quares, an sit idem dicendum de Sacerdote faciente officium in die Parasceues? ille enim neque consecrat neque sacrificat, unde non videtur proprie celebrare. Et idem quaeri potest de illo, qui post consecrationem peccauit mortaliter, & statim communicat praemissa contritione. Item de illo, qui assumitur ad complendum & consummandum sacrificium ab alio inchoatum, quem fortasse contingit mori statim post consecrationem. Respondetur in huiusmodi casibus, obligare hoc praepceptum, quia satis est, quod sacerdos solemniter in die Parasceues, & ut minister publicus, consummet sacrificium seu sacramentum, nam haec actio est proprie Sacerdotis, & sub nomine celebrationis merito comprehenditur iuxta communem usum, & sensum huius vocis.

*Sacerdos qui ob oblivione ante communionem non est confessus praedicti iure non tenetur cum primis postea posse confiteri.*

Secundo explicandum est, an obliget hoc praepceptum eum Sacerdotem, qui solum propter oblivionem celebrat absque confessione praemissa. Videtur enim eum obligare, tum propter paritatem rationis, tum etiam, quia illa est quaedam humana necessitas, ergo vere dici potest talis Sacerdos celebrare sine confessione propter urgentem necessitatem; ergo obligatur verbis illius legis. Nihilominus probabilius existimo, hunc casum non comprehendi sub hac lege, si verba eius exacte pensentur, tum quia, qui est oblitus, proprie non habet conscientiam sui peccati pro eo tempore, nam conscientia dicit actum. Concilium autem aperte loquitur de Sacerdote celebrante cum conscientia peccati. Praeterea oblitio non proprie dicitur vrgens necessitas, de qua Concilium loquitur. Denique addi potest ratio, nam qui bona fide accedit oblitus, iuxta conscientiam suam nihil

omittit, neque formaliter, neque materialiter, quod iure diuino praepceptum est, sed excusatur eo modo, quo omni fere humana actione interuenire potest excusatio: Et ideo non oportuit, ut in huiusmodi casu aliquid speciale Concilium disponeret noni onus & obligationem imponendo, secus vero est in eo, qui sciens, & videns, confessionem omittit ob causam vrgentem. Animaduertendum autem est, hoc procedere, quando oblitio durat, donec sacramentum sumptum sit, nam, si quis ex obliuione accedat ad celebrandum, & in ipsa actione ante sumptionem sacramenti recordaretur sui peccati, & nihilominus sacramentum sumeret sine confessione, iuxta doctrinam traditam praecedenti sectione, in eo casu obligaretur, hac lege, quia manifeste comprehenditur verbis eius, tunc n. communicat sine confessione propter vrgentem necessitatem, & cum conscientia peccati. Sed quid si prius esset confessus, & tunc recordaretur vnius peccati in confessione oblitus? Respondetur, etiam teneri ex vi huius legis, quia iuxta supra dicta tenebatur illud confiteri ante communionem ex diuino praepcepto, & solum illud omittit sine peccato, ob necessitatem vrgentem: ergo quoad hoc comprehenditur sub lege à Concilio lata.

Tertio declarandum est, an Sacerdos, qui sine necessitate ob malitiam celebrat absque confessione praemissa, hac lege comprehendatur, videtur enim obligatus multo maiori ratione; nam, si obligaris qui non peccauit, omittendo confessionem, cur non multo magis obligabitur is, qui peccando eam omittit? Nihilominus dicendum est, huiusmodi hominem non comprehendi hac lege, quia Concilium solum loquitur de illo, qui necessitate vrgente hoc facit, iuxta autem positua solum obligat, prout lata est, & argumentum à paritate rationis in hac materia est inefficax. Deinde reddi potest ratio diuersitatis, nam hoc praepceptum inter alias causas videtur impositum ad tollendam occasionem fingendi necessitatem celebrandi sine praeva confessione, vel differendi nimis confessionem. Cum enim sit Sacerdoti imposita obligatio confitendi, statim post celebrationem, si antea non potuit, ac bona fide omisit, multo magis erit sollicitus quilibet timoratus Sacerdos de praemittenda confessione, antequam celebret: haec autem ratio non procedit in ijs, qui sine titulo necessitatis in peccato celebrant, & ideo non oportuit de nouo obligationem vellaqueum eis imponere, quia ipso diuino iure satis obligantur ad praemittendam confessionem, aut equam celebrent.

SECTIO VIII.

*Vtrum qui peccauit mortaliter, etiam si contritus sit & confessus, teneatur aliquo temporis spatio communionem differre.*

Solent nonnulli praecedente nocte mortaliter peccare, & statim die sequenti confessione praemissa, sacram facere vel communicare: inquirimus igitur, an hoc liceat, quia non desunt graues auctores, qui dicunt esse peccatum mortale. Ita sentit Nauarrus in summ. Hispana, capit. 21. num. 50. & de Penitentia, dist. 6. cap. 1. & Couarru. in Clemen. Si furiosus, p. 3. n. 8. vbi dicit, esse impium negare, peccare mortaliter eum Sacerdotem, qui post fornicationem praecedenti nocte commissam, sequenti die celebrat, etiam si contritus sit & confessus, & in hanc sententiam videtur inclinare Marfilus in 4. quaest. 6. art. 4. & Gerson. de praeparatione ad Miss. confid. 5. & Alphons. 37. lit. vii. Tribuitur etiam D. Thom. hic, art. 7. qui dicit, pollutionem nocturnam, quae ex peccato mortali oritur, ex necessitate impedire communionem. Et eodem modo citari potest Gregorius, qui ad interrogationem primam Aug. dicit, oportere, ut per diem à comunione abstineat, qui ex praeva cogit

cogitatione pollutus est. Fundamentum solum esse potest, quia videtur hæc esse magna indecentia & irreuerentia.

Peccati mortalis non potest quis pariter peccatum mortale communicare, præmissa confessione debita. Hæc est sententia D. Thomæ hic art. 7. ad 4. vbi dicit, solum peccatum mortale durans in anima impeditur ex necessitate communionem huius sacramenti: atq; in hunc modum explicat doctrinam in corpore articuli traditam. Clarius d. 9. in art. 4. quæstionum 3. ad 2. dicit, consulendum esse ei, qui peccauit mortaliter, vt non statim accedat ad communionem, etiam si confessus sit, nisi magna necessitas urgeat: vbi cum dicit consulendum esse, plane sentit non esse præceptum, atq; idem sentit ibi Palud. q. 3. Maior q. 2. Gabr. lecl. 10. in Canon. Adrian. q. 4. de Eucharistia, Syluest. verbo, Eucharistia 3. q. 10. Caietan. verbo, Communio, Corduba, lib. 1. qu. 7. qui in specie loquitur de illo, qui nocte proxima vel fornicatus est, vel mortaliter pollutus, atq; idem tandem docuit Nauarrus in Summa, cap. 21. num. 51. Ratione probatur, quia in primis nulla est lex positua, humana, vel diuina, quæ hanc obligationem imponat: nec generatim de omni peccato, nam specialiter de aliquo, vt Couarruias & Nauarrus fatentur. Et patet, quia talis lex nec scripta est, nec tradita. Deinde ex solatione naturali colligi non potest, quia licet tempus breue intercedat, potest talis esse hominis conuersio, vt non solum sanctus sit, sed etiam sanctior & deuotior, quam antea esset: ergo dilatio temporis per se non est necessaria. Propter quod Paul. 1. ad Cor. 11. solum dixit: Probat autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: id est, si post probationem nullum in se agnoscat mortale peccatum, vt omnes exponunt. Quod vero addit: Qui enim manducat indigne, omnes etiam intellegant, id est, cum conscientia mortalis peccati: ergo si peccatum mortale iam non est in anima, neque in conscientia, per se non impedit, etiam si ante breue tempus præcesserit. Et confirmatur primo: nam talis homo est capax effectus huius sacramenti: nam cum iam viuat, nutrirî etiam potest, ergo potest illud sine peccato sumere. Confirmatur secundo, quia non potest certa aliqua ratio definiti, quanto tempore necesse sit abstinere: nam quod aliqui dicunt in tempore vnius diei naturalis, gratis confictum est sine fundamento. Confirmatur tertio ex vfu, quo constat, viros etiam doctos & timorata conscientia sine scrupulo celebrare eadem die post confessionem, etiam si aliquid humanum antea passi sint. Et præsertim, quando peccatum, quod intercessit, magis est spirituale, vel internum. Vnde neq; in omni genere peccatorum sine discrimine possumus verisimili fundamentò omnes homines obligare ad hanc communionis dilationem: neq; etiam possumus probabilem rationem reddere, cur hoc censeatur necessarium in quibusdam peccatis, & non in aliis: quia, licet in quibusdam videatur esse maior indecentia, tamen id, quod necessario essentialiter impedit, scilicet, carentia diuinæ amicitia, eiusdem rationis est in omnibus. Tandem, olim erat consuetudo in Ecclesia, quotidie communicandi: & tamen non est verisimile, neminè eorum, qui quotidie communicabât, solum esse aliquando mortaliter peccare: ergo necesse erat, vt multi communicarent eodem die, quo mortaliter peccauerant, mutato tamen affectu, & deletò mortali peccato. Et ita August. cum dicit: se nec laudare, nec vituperare eum, qui quotidie communicat, solum ab eo requirit, vt conscientia peccati mortalis non grauetur, vt videtur licet epist. 116. & de Ecclesiast. dogmat. c. 53. & in c. Quotidie, de Consec. d. 2.

Paludan. Maior. Adrian. Syluest. Cordub. Nauar.

Dixi autem, per se loquendo, quia ex accidenti potest esse hoc peccatum graue. Primo, ratione scandalii aliorum, si peccatum sit publicum: & maxime, si sit in consuetudine, quæ aliis nota sit. Secundo, ratione

Franc. Suarez. Tom. 3.

contemptus, seu ratione proprii scandali (vt sic dicâ) vt si homo ea occasione acquirat facilitatem peccandi, & no adhibet medicinam moraliter necessariam, vt se contineat: quamq; ex hoc solo cap. raro vel nunquam erit culpa mortalis. Facilius committi potest propter periculum communicandi sine vera detestatione peccati, & proposito emendæ: quia peccatum recens non tam facile odio habetur, & ideo periculosius est hoc in peccatis carnalibus, quæ vehementius adherent, magisq; hominem alliciunt & excitant.

Ex quo infero, frequentius consulendum esse, vt post mortale peccatum commissum, et si videatur homo satis esse dispositus, aliquo tempore abstineat à communionem, saltem per diem, vt se magis colligat, animumq; suu magis à peccato abstrahat. Et hæc videtur esse mens D. Gregorij, & D. Thomæ locis citatis, & authores pro nostra sententia citati hoc consilium approbat: imò Caiet. & Adrian. sentiunt, non solum esse consilium, sed etiam semper esse aliquod peccatum veniale, non interponere huiusmodi tempus, præsertim si peccatum, quod præcessit, carnale fuit: tum quia est nonnulla indecentia, tum etiam, quia semper huiusmodi homo accedet sine conuenienti præparatione ac deuotione: & hoc fortasse moraliter loquendo, ita frequentius accidit, non tam propter præcedens peccatum, quâ propter præsentem distractionem, vel alium similem affectum, qui ex illo relinquitur: at vero intrinsece & ex obiecto, non est intrinseca malitia in huiusmodi actu, etiam leni, ex sola breuitate temporis interpositi inter peccatum & communionem. Et ideo si ex cæteris circumstantiis præsentibus honestetur actus, poterit nullus esse peccatum. Et si specialis necessitas, vel obligatio celebrandi urgeat, non solum non erit peccatum, sed etiam erit melius, vel aliquando etiam necessarium, vt rectè D. Tho. supra docuit. Atq; etiam responsum est ad fundamenta prioris sententia.

Illatum ex conclusioni. D. Greg. D. Thom.

ARTICVLVS VI.

Verum Sacerdos debeat denegare corpus CHRISTI peccatori petenti.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non enim est faciendum contra Christi præceptum, propter vitandum scandalum, vel infamiam alicuius. Sed Dominus præcipit Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus. Maxime autem datur sanctum canibus, cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo, neq; propter vitandum scandalum, neq; propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

2. Præterea, De duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata datur, quàm si sumens corpus Christi, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius esse eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam, quod datur ei hostia non consecrata.

3. Præterea, Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine, ad eorum manifestationem: legitur enim in Decretis 2. q. 4. c. 24. Sæpe contingit, vt in monasterijs monachorum facta peccentur: idcirco statimus, vt, quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex presentibus, & sic expleta Missa, omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem, & infusa.

\* Si Episcopo, aut presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum pro singulis Missam celebrare debet, & communicare, & de singulis sibi imputatis, innocentem se ostendere. Sed peccatores occultos non oportet manifestari, quia si frontem vercundia abiecerint, liberius peccabunt, vt August. dicit in libro de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non est Corpus Christi dandum, etiam si peccant.

Sed contra est, quod super illud Ps. 21. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: dicit August. \* Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est, peccatores, mensam Domini manducare.

In Decr. 2. q. 4. c. 24. Sæpe contingit. Cap. 27. Refertur de consec. d. 2. c. Non prohibeat, to 9.

xxxj Respondeo

